



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sacramentis, Mille Sexcenti Errores, Vaniloqvia, Et Cavillationes

Miletus, Vitus

Mogvntiae, 1593

VD16 M 5205

De Sacramento Baptismi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30094

conscientiis firmam, vtilem, & necessariam consolationem. *Kem. pag. 34.* Omnino putà: quia Kemnitius est Minister & Superintendens verbi Domini, verbum autem Domini manet in æternum, & non mentitur. Conscientiam sibi faciunt homines de culice colando, camelum deglutiendo: Aliter verò senserunt Patres, aliter Concilia, aliter Theologi, aliter Scholastici, aliter omnes vbiuis gentium Christiani.

Maub. 23.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Ex Kemn. in 2. 234. part. Examin. d pag. 39.

Baptisma Ioannis verum fuisse Sacramentum, sicut est Baptisma Christi. *Kemnit. Heshus. tit. 16. err. 1.* Sed si verum fuit Sacramentum, quomodo duo tantum esse Sacramenta contendunt, Baptisma Christi, & Cœnam? An Baptismus Ioannis baptismus est Christi? An ad Sacramentum propriè dictum, opinione eorum (vt supr.) non requiritur, vt institutionem habeat in nouo testamento? An habet baptisma Ioannis? Neq; enim Christum instituisse legimus. *235.* Baptisma Ioannis non fuisse diuersum à baptismo Christi. *Philip. in Loc. ann. 58.* Sed si idem; quomodo non Christi sed Ioannis baptisma dicitur?

256. Baptisma Ioannis, non Christi, sed Ioannis dici, propter ministerium eius. Sed hac ratione etiam baptisma Christi, Baptisma deberet dici Petri vel Pauli, cum & hi sint ministri baptismatis Christi.

Actorum 19.

236. Ioannem baptizasse in nomine Trinitatis, Patris & filij, & Spiritus sancti. *Centur. 1. lib. 2. cap. 6.* At quo Scripturæ vel Patrum testimonio? quin in nomine venturi baptizasse non obscure innuit scriptura, cum ait, Ille baptizabat, docens credere in eum, qui venturus est.

237. Baptisma Ioanniseandem habuisse vim & efficaciam cum Baptismo Christi. *Philip. Calum. lib. 2. cap. 15.* Sed si eandem

dem vim habuit & efficaciam, quomodo qui baptizati sunt baptismo Ioannis, non acceperunt Spiritum sanctum? quomodo rebaptizabantur? Quomodo Ioannes ipse ait, baptizare se aqua, Christum verò in Spiritu? Actor. 19.

238. Variè Patres, maximè Græcos, sentire de baptismo Ioannis. *Kemn.* Cum hæc sint verba Caluini, §. 7. *Neminem perturbet, quod alterum ab altero (baptismo) veteres discernere contendant, quorum non tanti nobis debet esse calculus, vt Scripturam quatefaciat, quis enim Chrystomo magis auscultet, quàm Lucæ? nec recipienda est illa Augustini arguta, in spe dimissa fuisse peccata baptismo Ioannis, Christi baptismo ipsa dimitti.* En quàm variè senserint, vt vnum ab altero discernendum esse, omnes ad vnum consenserint.

239. Magis esse auscultandum in hac quæstione, quid dicat Christus, quàm quid dicat Chrystomus, *Caluinus sup.* At qui quæstio non est, magisne auscultandum sit, quid dicat Christus, quàm quid dicat Chrystomus, sed an magis auscultandum sit, quid dicant, Augustinus, Chrystomus, Patresque reliqui, quàm quid dicat Lutherus, Caluinus, Kemnitius, cæteri; Sectarij, maximè vbi de ipsa quæstio est scripturarum intelligentia, vel traditione Apostolica & Ecclesiastica: quis enim magis auscultet his, quàm illis?

240. Parùm referre, quid Patres in præacta quæstione senserint, cum in partem vtramque sit probabilis. At non ita sentiunt patres. Nam Hieronymus in Dialog. contra Lucifer. ad eò non putat rem istam esse leuem, vt dicat, eos qui confundunt hæc baptismata, in peruersum abire dogma? Augustinus, in impiam & sacrilegam opinionem: Cyrillus, temerarios esse, qui contrarium sentiunt, libr. 2. in Ioann. cap. 57. Idem Concilium Tridentinum: Quisquis enim tantùm tribuit baptismo serui & aquæ, quantum baptismo Domini & Spiritus, baptismum penitus destruit. Lib. 2. cont. lit. petil. cap. 37.

241. Baptisma Ioannis eandem habuisse doctrinam cum baptismo Christi, proinde nec esse censendum diuersum à baptis-

Millesexcenti Errores,

librum 19.

Baptismo Christi. At si eadem doctrina idem constituit Baptisma, diuersa ergo doctrina diuersum constituet Baptisma; Lutheranorum ergò Baptismus, diuersus erit à Baptismo Pontificiorum? Deinde quomodo eadem vtrorumq; fuit doctrina? Cum Ioannes docuerit credere in eum qui venturus erat? An sic docuit Christus?

242. Baptisma Ioannis eundem habuisse ritum cum Baptismo Christi. Sed quem quæseritum? An Ioannes baptizauit in nomine Trinitatis?

243. Baptisma Ioannis, eandem habuisse materiam cum Baptismo Christi: Sed diuersitas rerum non à materia, sed sumenda est à forma.

244. Baptisma Ioannis eandem habuisse formam cum Baptismo Christi. At quam formam? Neq; enim in nomine Trinitatis, sed in nomine baptizauit venturi Christi. Supr.

245. Baptisma Ioannis eundem habuisse effectum cum Baptismo Christi. Cum Ioannes suo Baptismo non dederit, sed prædicauerit duntaxat, remissionem peccatorum, quæ futura erat per eum, quem in spiritu baptizare & peccata tollere dixerat. Ioan. 1.

246. Baptizatos à Ioanne, non opus habuisse iterato baptizari Baptismo Christi. Cum ipsum disertis verbis affirmet ipse Ioannes, dicens, *Ego baptizo vos Aqua, ille autem baptizabit vos Spiritu.* Matth. Luc. 3. Et rebaptizatos fuisse Acta testantur Apostolica. Act. 19.

247. Consolationem Christianorum exigere, vt dicamus, idem esse Baptisma Ioannis, quo Christus baptizatus est, omnium Christianorum caput; cum Baptismo membrorum Christi. Quasi non magis blasphemia sit in Christum, sentire eum more aliorum fuisse baptizatum in remissionem peccatorum? An hæc est gloria & consolatio nostra, quod non serui, sed baptismo abluimur Domini?

248. Baptisma Ioannis remisisse peccata, propter verbum & fidem, Ioannes enim prædicabat & docebat credere in Christum.

stum. Frustrà ergò institutus est Baptismus Christi, absque eo enim & verbum audire poteramus & credere. Et si Ioannes ipse remittebat peccata, quomodo de Christo ait, Ecce Agnus DEI qui tollit peccata mundi? Ioan. 1.

249. Christum indignis esse baptismi in remissionem peccatorum, non quæ ipse fecit, sed quæ pro nobis tulit, propter quæ & fur & latro, & homicida, & maximus totius mundi dici possit peccator. *Luth. in cap. 3. ad Galat. & Homil. de Baptismo.* Blasphemè: An enim rectè latronem dixeris & furem, qui propter furtum & latrocinium alterius innocenter occiditur? peccata verò nostra Christus tulit in ligno, non in baptismi.

250. Neque Ioannem, neque ipsos fuisse baptizatos Apostolos baptismi Christi. At quo testimonio? an quia non est scriptum? at neque scriptum est, te esse baptizatum: an ideò verum non est, quia scriptum non est? baptizatos tamen fuisse Apostolos, Tertullianus tradit, scriptor antiquissimus, in lib. de Bapt. August. epist. 118. ad Seleucianam. Ipsum verò Ioannem fuisse baptizatum, non obscure colligitur ex verbis ipsius, cum ait, *Matth. 3. Ego abs te debeo baptizari*, quod si factum non fuit, martyrium eius in causa fuit. Ipsos autem baptizatos esse Apostolos insinuat Petrus cum ait, *Baptisma saluos nos fecit, 1. Pet. 5.*

251. Pontificios docere, Baptismum esse Aquam ab ipsis in Vigilia Paschæ vel Pentecostes consecratam. Figmentum: patet ex omnibus Scholasticis.

252. Pontificios docere, non esse legitimum Baptismum, nisi Aqua peculiaribus priùs exorcismis consecretur. Errant. Essentiam baptismi in aqua simplici & elementari constituunt, ipsam tamen per Verbum, quo teste Apostolo omnia sanctificantur, priùs sanctificant. *1. Timoth. 4.*

253. Blasphemum esse, quod Pontificij aquam baptismi exorcizant. Cum ipsi exorcizent baptisandum: an persona exorcizari potest, aqua non potest?

254. Baptismi materiam esse, quicquid balnei nomine potest appellari. *Luth. in Simposiac. cap. 17.* Sed hoc vaniloquium nec

Millessexcenti Errores,

nec ipsis suis placet sequacibus, nisi fortè in simposio congregatis, balnea enim ex variis fieri possunt liquoribus.

255. Non vsq; adeò necessariam esse aquam in baptismo, quin si haberi nequeat, lacte suppleri possit vel cereuisia: *Luth. loc. cit.* Sed eadem ratione & auctoritate dicere posset, nec vinũ quidem & panem adeò esse in Coena necessaria, quin si haberi non possint, lardo & cereuisia, vel quouis alio suppleri possint brodio.

256. Baptismum non esse aliud, quàm signum & pactum, quo Deus nos recipit in gratiam suam. *Philip. in Loc. ann. 58. de Sacris.* Quasi hoc omnibus commune non sit Sacramentis?

257. Baptismum non esse aliud, quàm signum initiationis, quo in Ecclesia cooptamur societatem, Christoq; insiti, inter filios Dei computamur. *Calumus libr. 4. Insti. cap. 15 §. 1.* Cum in hac definitione nec essentia baptismi, nec ritus, nec effectus eius primarius, qui est peccati remissio, exprimat.

258. Baptismum non esse aliud, quàm sigillum & obsignationem iustitiæ fidei, seu gratiæ, quæ in ipso per fidem confertur, & apprehenditur, *Kemnit.* At Sacramenta non esse sigilla tantum, sed vera iustificationis instrumenta, supra diximus.

259. Non esse necessariam certam aliquam formam in baptismo, dummodo non conferatur in nomine hominis, sed in nomine Christi. *Luth. in Capt. Babyl. cap. de Bapt. Zwing. de ver. & fals. relig. cap. de Baptismo. sub fin.* Sed cum Christus certa expresserit & præscripserit verba, dicens: *Baptizantes eos in nomine Patris, & filij & Spiritus S.* quis ea sine scelere vel mutet, vel omittat?

260. Ratum esse baptismum sub ista forma. *Ego te baptizo in nominibus Patris & Filij & Spiritus sancti.* Sed hæc forma Arrianismum sapit. Vnde *Ambros. & Hieron.* notant, in baptismo fieri trinam immersionem, non tamen dici in nominibus, sed in nomine patris & filij & Spiritus sancti.

261. Apostolos, quando baptizârunt in nomine Christi, addidisse formam institutionis, *In nomine patris & filij & Spiritus sancti.* *Kemnit. pag. 43.* At hoc nusquam scriptum, nusquam est à Patribus expressum.

262. Ba-

Amb. lib. 2. de Sacram. cap. 7. Hier. in cap. 4. ad Ephes.

262. Baptismum nō esse absolutē necessarium, eō quod homines ab æterno sint prædestinati, antequam sint baptizati. Sed hac ratione, nec fides, nec quicquam aliud esset necessarium, cū tamen nemo sine mediis similiter præordinatis, sit prædestinatus, maximè quoad finis affecutionem.

263. Baptismum esse sigillum diuinæ & æternæ prædestinationis. *Caluin.* Sed hac ratione nemo posset rectè vel baptizare vel baptizari, cum qui prædestinatus sit, nemo nisi qui prædestinat nōrit Deus; Essetq; baptismus sæpenumero falsum sigillum, quando nimirum confertur reprobato.

264. Baptismum prophanari, cum datur nō prædestinatis, & qui ad Christum non pertinent. *Caluin.* An ergo prophanatur *Iob. 25.* quando baptizantur Caluiniani? Ecquis mundus baptizatur? *Prou. 20.* an prophanatur aqua, quando immundi ea lauantur?

265. Paruulos non esse baptizandos, donec fidei & mysteriorum Dei sint capaces, cum sine fide Deo placere possit nemo. *Hebr. 11.* *Anabaptist.* Cum Christus disertis dicat verbis: *Nisi quis renatus* *Luc. 3.* *fuerit, ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum cælorum.* Aut ergo damnandi aut baptizandi sunt paruuli.

266. Paruulos non habere peccatum, propter quod sunt baptizandi. Cum scriptura ubiq; clamet. *Omnes in peccatis nasci, nec quemquam esse mundum à sordibus, etiam infantem vnius diei,* *Psal. 50. Rom. 5. Ephes. 2. Iob. 15. 25. 33. Prou. 20.*

267. Paruulos fidelium parentum, non nasci in peccatis, cum nascantur à parentibus mundis: Errant. Sicut enim granū purgatum à filiqua, non producit granum purgatum à filiqua, ita neq; parentes mundi progenerant partus mundos, Naturam siquidem, non parentes, sequitur peccatum.

268. Paruulos habere remissionē peccati, antè fidem, propter fidem parentum. Cum nec propria sine baptismo iustificet fides.

269. Illegitimos, quantūuis baptizentur, damnari. Plena *1. Tim. 1. 2.* desperationis & blasphemix doctrina, cū etiam iuramento Deus affirmet, se nullius velle mortem peccatoris sed vt oēs salui fiant.

Millesexcenti Errores,

Marci ult.
Iac. 7.
Exech, 18.

Et alibi: *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit.* Item: *Non est acceptio personarum apud Deum.* Item: *Filius non portabit iniquitatem parentum, &c.* Illegitimi ergò, si pij sint & Catholici saluabuntur: Impij verò & hæretici quamuis legitimi sint, & claris nati parentibus damnabuntur.

Luc. 3.

Epist. 28.

270. Non damnari paruulos si sine baptismo decedant, Calum. Idem videntur sensisse Caiet. & Gabr. nisi quod hi opinionem suam pertinaciter non asserant, sed Ecclesiæ subiiciant, Errant verò: Pari enim ratione affirmare possemus, nec infideles quidem, quibus nulla est de Christo notitia, damnari, sententia scripturæ clara est. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cælorum.* Vnde B. Augustinus, *Non alia (inquit) de causa in Ecclesia festinatur & curritur cum infantibus periclitantibus ad Baptismum, nisi quia constat nullum aliud esse remedium.*

271. Non rectè distingui à Pontificiis tria baptismata, Fluminis, Fluminis, & sanguinis. *Hesbus. tit. 16. erro. 10.* Cum Kemnitius 2. part. Exam. de Necess. Sacram. pag. 20. asserat, verustatem venustè admodum & distinxisse, sicut distinguit Ambr. in Psal. 118. serm. 3.

Lib. de Bapt.

272. Martyrium non rectè appellari baptismum sanguinis, *Hesbus. loc. citat.* Quo ergo baptismo baptizati sunt infantes innocentes? Vnde Tertull. *Martyrium est Baptismus, quod lauacri regenerationis non acceptum refert, vel perditum reddit.*

273. Rectè quidem Martyrium appellari baptismum, non tamen propter ipsum martyrium, sed propter fidem. *Kemnit.* Cum extra fidem, nec martyrium quidem esse possit, quis enim pro Christo moritur, nisi in Christum credat? quia tamen non sufficit credere, nisi quis etiam baptizetur, pro hoc opere ipsum imputatur martyrium.

Lib. 13. Ciuit.
cap. 7.

274. Augustinum non sensisse, ipsum opus martyrij, sed fidem martyris, baptismi vicem supplere. *Kemnit.* At verba Augustini hæc sunt. *Quicumq; non percepto regenerationis lauacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum*

quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum caelorum, alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit, Qui perdidit animam suam propter me, inueniet eam propter me, &c.

275. In hoc differre Cyprianum ab Augustino, quod Cyprianus sentiat ipsam passionem, Augustinus verò ipsam fidem supplere vicem Baptismi. Kemnit. Sed ubi id scribat Augustinus, locum non allegat Kemnitius, minimè vero diuersum sentire à Cypriano, vel ex his eius liquet verbis. Quos angustia (inquit) passionis inuenit, & nolentes Christum negare, antequam baptizarentur, occisi sunt, ipsa passio pro baptismo deputata est.

Epist. 108. ad Seleucianam.

276. Augustinum disertis verbis scribere, Latronem in Cruce, non sua passione, sed fide fuisse saluatum. Kemnit. Quà vanum? An enim latrones sunt Christi martyres? An latro ille propter Christum, & non magis propter sua passus est facinora? Quia tamen in ipsa sua passione in Christum credidit, saluatus est fide, non passione sua, quæ martyrium non fuit, sed iusta facinoris poena. Quamuis nec sola fide, sed etiam contritione saluatum disertè scribat August.

Lib. 4. cont. Doct. natist. cap. 22.

277. Pontificios cum summa iniuria baptismi, martyrium æquare baptismo. Kemnit. Cum id non solum Cyprianus, August. & reliqui adæquent, vt supr. Sed Christus ipse, cum ait, Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis, &c. Et: Qui perdidit animam suam propter me, inueniet eam in vitam æternam.

Ioan. 15.

278. Non dari baptismum Flaminis, id est, Contritionis & poenitentiae. Heshus, loco citat. Cum id Kemnitius vtrò concedat: Et scriptura passim asserat, Deum non despiciere cor contritum & humiliatum, sed quacunq; hora peccator conuersus poenitentiam egerit, misericordiam consecuturum, Psal. 50. Ezech. 18. Vide August. lib. 4. de Bapt. cap. 22.

279. Pontificios per Baptismum Flaminis, intelligere opera hominis esse meritoria sine fide. Kemnit. cit. Manifesta calumnia, Tantum enim abest, vt opus vllum sine fide agnoscant meritorium,

Millesexcenti Errores,

Hebr. 11.

ritorium, vt nec opus quidem vndequaue agnoscant bonum: quando quidem sine fide nec operans placet Deo, nec opus, quod vtiq; non incipit esse meritorium, priusquam fide fuerit informatum.

280. Venustè à Patribus tria distingui baptismata, Flammis, Fluminis, & sanguinis. *Kemnitius loco citato.* Cum tamen non ipsis, sed soli fidei in ipsis, aut cum ipsis, effectum tribuant. Venustius ergò dicerent vnum duntaxat esse baptismum, vnumq; Sacramentum, nimirum baptismum seu Sacramentum fidei, cū aliud iustificare nil autument, quàm fidem.

281. Baptismum non posse à non baptizato in casu necessitatis conferri, etiam si ritum seruet. *Calum.* Cum vt suprà, Lutherus nec Diabolum quidem à ministerio verbi & Sacramentorum arceat: quin ipse quoq; Calvinus in Antidoto Concilij Sess. 7. can. 11. ait, *Se non dubitare, quin si Epicurus aliquis, qui totam actionem Sacramenti subsannaret, Cœnam sibi ministraret, illum vera corporis & sanguinis pignora exhibere,* Et ipse Kemnitius cum Luthero (vt supr.) nullam prorsus intentionem requirat ministri. Deniq; cum scriptura nec affirmet, nec neget, magis auscultandum & obseruandum est, quid dicat teneatq; vniuersa Ecclesia, quàm quid Calvinus, vel quiuis dicat alius.

Act. 19.

282. Nullum laicum etiam in casu necessitatis posse baptizare. *Calum. cit. & lib. 4. Inst. cap. 15.* Cum (vt paulò antè) nec Epicuro quidem pignorum suorum ministracionem neget: Et Ananias Paulum baptizauerit purè laicus. Vnde Hier. in Dial. cont. Lucif. *Baptizare (inquit) scimus etiam laicis licere, si necessitas cogit.* Idem August. lib. 2. cont. epist. Parmen. cap. 13.

283. Veteres sensisse nullis nec laicis, nec mulieribus, nec ipsi Matri Dei, vllò casu competere ius baptizandi. *Calvinus loco citato.* Cum Patres loquantur de publico, non priuato ministerio baptismi.

Vide lib. 2. cont. epist. Parm. c. 13.

284. Augustinum dubitare, Num laicis & Mulieribus liceat baptizare. Cum dubitationis suæ rationem addat, quia nempe, nullo adhuc Concilio res illa definita fuerat, sicut modo defi.

definita est. Quin alibi expressè pronunciat, si sua queratur sententia, se responsurum, baptismum esse ratum à quocunq; & ubi-
cunq; traditum, dummodo verbis Evangelicis consecratum.

Lib. 7. de Bapt.
cap. 53.

285. Multos ex veteribus, de quaestione præacta dubitasse. Cum ipse Calvinus vltro fateatur, à multis retrò sæculis, adeoq; à primo nascentis Ecclesiæ exordio, usu receptum fuisse, ut in periculo mortis baptizarent etiam laici, si Minister non adesset.

186. Non esse baptizandos paruulos, ante usum rationis. *Anabaptista.* Cum Christus dicat, ipsorum esse regnum cœlorum, Nemo autem potest introire in regnum cœlorum, nisi renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, Ioan. 3. Supr.

Matth. 19.
Marc. 10.
Luc. 18.

287. Apostolorum temporibus, nullo fuisse in usu Pædo-baptismum. Cum Apostoli integras sæpe baptizasse legantur familias, in quibus haud dubio fuere & infantes: Et quidem Apostolicam esse traditionem baptizare paruulos, omnes tradunt veteres. Vnde Aug. *Consuetudo* (inquit) *in paruulis baptizandis nequaquam spernenda est, nec vlllo modo superflua deputanda, nec omninò credenda, nisi Apostolica esset traditio.*

Actor. 16.
1. Cor. 1.

Lib. 10. de genesi.
cap. 23.

288. Infantes non esse baptizandos, quod scriptura dicat, Apostolos esse piscatores hominum, non infantium. *Ministri Translyvaniae, in lib. contr. Trinit. & Incarnat. ann. 57. edito.* Quasi infantes non sint homines? Et per piscationem non magis intelligatur prædicatio, quàm baptizatio?

289. Infantes non esse baptizandos, quod Apostolus scribat, neminem ad Sacramentum admittendum, nisi seipsum prius probet, quod infantes præstare non possunt. Iid. Cum Apostolus de Sacramento loquatur Eucharistiæ, non Baptismi.

1. Cor. 10.

290. Infantes non esse regenerandos, quod Apostolus scribat neminem renouari & regenerari, nisi veterem exuat hominem, induatq; nouum, quod infantes per ætatem efficere non possunt. Iid. Quasi nemo possit indui vel exui per alium?

Ephes. 4.
Coloss. 3.

291. Sacramenta Cibus esse solidos, quorum capaces non sunt infantes. *Iidem.* Cum baptismus non sit Cibus, sed regeneratio hominum, per quam apti fiunt ad cibos Spirituales capiendos,

292. Nem.

Millesexcenti Errores,

292. Non debere baptismo Christi baptizari, qui per baptismum Ioannis, id est, per pœnitentiam, non possunt præparari, quod in paruulis fieri non potest. Quasi illi paruuli, de quibus Christus dixit, ipsorum esse regnum cœlorum, prius fuerint per Ioannem præparati? aut quasi Christus paruulos priusquam ad se vocaret ad Ioannem miserit, vt eos præpararet?
293. Neminem esse baptizandum antè annum trigessimum quo Christus baptizatus est. *Hunc errorem tribuit Caluinus libr. 4. Institut. cap. 16. Serueto & aliis.* Quasi Christus vno magis, quam altero tempore indiguerit baptismo, sicut cæteri homines, qui cum in peccato nascantur filij iræ, statim vbi nascuntur remedio opus habent, quo renascantur, atque à peccato abluantur.
294. Neminem esse baptizandum sine fide propria, eò quòd Christus dicat, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; qui autem non crediderit, condemnabitur.* Sed hac ratione, nec Innocentes quidem propter Christum occisi, salui essent, qui nec crediderunt, nec baptizati fuerunt. Itaq; non de paruulis, sed de adultis intelligendus est locus.
295. Satius esse paruulos omninò non baptizari, quàm sine fide baptizari. *Luth. tom. 7. de Adorat. Sacram.* Anabaptistica doctrina: An satius est paruulos damnari quàm baptizari?
296. Nemini prodesse baptismum sine fide propria. *Luth. in postill. Witeberg. ann. 65. in Dom. 3. post Epiphan.* Miror, si doctrina hæc non sit Anabaptistica?
297. Lutherum non præbuisse ansam & occasionem Anabaptismo, quod non pauca contra catabaptistas scripserit. Cum (vt supra) locis plurimis scripserit, præstare paruulos omninò non baptizari, quam sine fide baptizari. Vnde in libr. contra Cochlæum, postquam dixit, Augustinum errasse, quod senserit, paruulis non inesse sensum fidei, subiungit. *Quin asserimus paruulos prorsus non esse baptizandos, si verum est eos in baptismone credere, ne illudatur maiestatis Sacramentum & verbum, debemus autem hunc negatæ fidei errorem Papistis.* Idem expressiùs ad VValden.
298. Rursum calumniari iniquant Pôtificios, quod vllam Anabap-

Anabaptistis rebaptizandi occasionem dederit Lutherus. Cum ipse Musculus in suis locis communibus scribat, Lutherum suum inconsultè scripsisse, si constet paruulos non credere in baptismo, non esse baptizandos, hanc enim occasionem fuisse anabaptismi. In Loc. Com. de Pædobaptismo.

299. Augustinum errasse, quod senserit, paruulis non inesse sensum fidei. *Luth. contr. Cochl. vt supr.* At sanè sensu caret, qui sensum talem in paruulis quærit.

300. Infantes habere propriam fidem. *Lutherus de Capt. Babyl. cap. de Baptismo, & loc. supr. citat.* Non negat Kemnitius ità scripsisse Lutherum, negat verò eo sensu intelligendum, quo à Pontificiis intelligitur. Verùm nos cum B. Augustino asserimus, Eum qui fidem ponit in paruulis, iniuriam facere humanis sensibus, sensusque humani prorsus esse expertem. Vide eund. in lib. 4. de Baptismo cap. 24. lib. 1. de pecc. mer. cap. 20. Cap. 57. ad Dardan

301. Ex eo colligi paruulis inesse sensum fidei, quod Christus dicat, *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, &c.* *Luth.* Cum, vt verba sonant, Christus de iis loquatur paruulis, qui vsu rationis pollent, scandaliq; & fidei sunt capaces. Matth. 18.

302. Augustinum non dissentire de fide paruulorum à sententia Lutheranorum. *Kemnitius à pag. 57.* Cum (vt paulò antè) Lutherus ipse fateatur, diuersum sentire Augustinum. Vnde in lib. cont. *Cochl. Frustra* (inquit) *quæreretur à paruulo ad Baptismum an credat, si certum esset ipsos non credere. Esto enim Augustinus aliquando sic dicat, Cochlæo tamen satis sit, esse ab homine dictum, &c.* An idem sentiunt Lutherus & Augustinus?

303. Augustinum non sensisse paruulos non habere propriam fidem cum baptizantur. *Kemnitius loco cit.* Cum Illyricus & Centuriatores eo nomine tam Augustinum reprehendant, quàm Iustinum, quod senserint, paruulos non credere dum baptizantur fidè propria, sed aliena. Cent. 2. cap. 4.
Cent. 5. cap. 4.

304. Lutherum cum ponit fidem in paruulis, non esse intelligendū de fide actuali, sed de motibus quibusdam & actionibus, similibus motibus fidei & charitatis, *Sic enim aliqui Lutherani mol-*

Millesexcenti Errores,

in molles, quibus alia sententia durior videtur, Luth. exponunt. Sed Luth. in Capt. Babyl. disertè scribit, Parvulum vi orationis Ecclesiæ, infusa fide, non aliter immutari & renouari, quàm impiū per externū sonū verbi: qui utiq; actualiter imutatur, non habitualiter.

305. Rursum non esse imaginandum (inquiunt) quod infantes dum baptizantur, actualiter credant & intelligant, sed quod iis dum baptizantur, motus quidam & inclinationes, per similes motibus fidei & charitatis, vi Sacramenti conferantur. Cum longè sit absurdū sponere fidem & charitatem sine sensu & motu, quàm veram & actualem fidem, maximè cum opinione ipsorum fides alia nulla iustificet, quàm quæ tanquam manus iustitiam apprehendit & attrahit.

306. Infantibus inesse occultos quosdam fidei motus, qualis in utero matris Ioannes habuit Baptista. Quasi omnes infantes sint, vocenturq; Ioannes, & saluentur à matre Christi nondum nati? Quasi etiam Ioannes motus istiusmodi habuerit sine vlla cognitione vel sensu? cum cognouerit præsentiam Domini, & præ gaudio exultauerit in utero? &c. Luc. 1.

307. Parvulos iustificari in baptismo sine vlla fide. Hunc quoq; errorem primus excitauit Lutherus. Nam etsi priusquàm orti essent Anabaptistæ, inesse paruulis fidem (vt supra) docuerit, postquam tamen illi prodierunt, & propter fidei defectum infantes baptizari noluerunt, mutata priori sententia librū scripsit aduersus eos ann. 28. in quo contendit, non referre, siue credant, siue non credant infantes, baptismum enim non supra fidem hominum, quæ incerta est, sed supra mandatum & institutionem Christi esse fundatum. Idem in homil. de Baptismo an. 37. & 40. Idem Calvin. & Beza, &c. Verum cum Apostolus scribat, sine fide impossibile esse placere Deo, mirum est, quomodo infantes sine fide placere queant.

308. Infantibus, dum baptizantur non infundi habitus fidei, spei & charitatis. At cum sine fide placere Deo sit impossibile, infantibus verò fides actualis inesse non possit, infusam illis inesse necesse est, cum alia fides præter actualem & habitualem infusam, nec fingi quidem possit.

309. Opi

309. Opinionem de habitibus infusis, sorduisse Concilio Tridentino, ac idcirco de iis definire quicquam noluisse. *Kem.* Cum idem Concilium Sess. 6. cap. 7. definiat, in baptismo cum remissione peccatorum infundi hæc omnia dona, Fidem, spem, & charitatem, eaq; menti inhærere.

310. Pontificios inter sese dissentire de habitibus infusis. Quasi non liceat, salva Ecclesie pace & vnitare, de iis quæ definita non sunt, dissentire & dubitare? Quamuis verò diuersa de his aliquando fuerit sententia, communior tamen & probabili-
or semper habita fuit affirmatiua, vt patet ex B. Thom. in 3. par. q. 62. art. 6. Idem Scot. Durand. Gabr. in 3. d. 23. Quocirca Concilium Vien. eandem vt probabiliorem & conformiorem
tam veterum quàm recentiorum Theolog. testimoniis definiuit.

*Clem. de Summâ
Trinit. & Fide
Cath.*

311. Non inesse infantibus habitus infusos, fidei, spei, & charitatis, sed motus quosdam iis per similes. Cum multo minus explicare possint, quid, vel quales sint motus illi vel operationes Spiritus sancti, quàm habitus infusi.

312. Id quod operatur spiritus sanctus in paruulis dum baptizantur, esse fidem. *Kemnitius pag. 59.* Sed si per fidem intelligant habitualem, cur Pontificios accusant? Sin autem actualis, cur Lutherum (vt supra) excusant?

313. Paruulos non baptizari fide aliena siue Ecclesie. *Kem. Illyr.* At si non aliena, ppria ergò baptizentur necesse est, sine fide enim (vt sæpe) impossibile est placere Deo, Hebr. 11.

314. Pontificios docere paruulos fide aliena iustificari. *Kemnitius.* Errant: baptizari, non iustificari docent, quod per gratiam & habitus infusos in baptismo fieri potest.

315. Rursum: absurdum autumant asserere, aliena paruulos iustificari fide. Cum ipsi aliena doceant etiam adultos iustificari iustitia: An magis imputari potest aliena iustitia, quàm aliena fides?

316. Non esse vlllo modo concedendum paruulos baptizari sine fide, ne stabiliatur dogma Pontificiorum, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, sine fide & bono motu vtentis.

Millesexcenti Errores,

Sed cum explicare non possint, quid, vel quomodo fides sit in paruulis, quid frustra incessunt illud dogma, maximè perperam ab ipsis intellectum? Supr. de opere operato.

317. Paruulos non iustificari per baptismum, sed per fidem baptismi. At scriptura non inquit, *Saluos nos fecit per fidem lauari*, Sed, *per lauacrum regenerationis*, Tit. 3. Ephes. 5. Deinde quid est fides baptismi?

Psal. 38

318. Non auferri vel penitus aboleri peccata per baptismum, sed tegi tantum & non imputari, iuxta illud. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, & cuius tecta sunt peccata, &c.*

Homil. 2. de Baptismo, ann. 40.

Communis omnium error. Cum hæc sint verba Lutheri, voluit Ioannes baptismum tam esse efficacem & tantæ virtutis, vt peccata abluere, mortem submergere & suffocare, & omnia vitia & sordes mundare posset. Dicant obsecro, an sordes tollantur vel tegantur? quando abluuntur, si lauacro regenerationis non abluantur?

*Ioan. 1.
Psal. 50.
Exccb. 36.*

319. Rursum peccata (aiunt) per lauacrum regenerationis non tolli, sed tegi, non abluui, sed obrui, non emundari, sed non imputari. Atqui scriptura non ait, *Ecce Agnus Dei, qui tegit, sed, qui tollit peccata mundi*. Item. *Lauabis me & super niuem dealbabor*. An super niuem est dealbatus, cuius sordes penitus non sunt ablatae? Item: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris?* An ab omnibus inquinamentis mundatus est, qui adhuc inquinatus est? De qua re fusius suo loco.

Lib. 9. epist. 39.

320. Idem sensisse veteres in hac questione cum Luthero. Cum Lutherus (vt supr.) diuersis locis, diuersum senserit, si tamen sensit, vt loco paulo antè citato scripsit, consentiunt veteres, sic enim scribit Gregorius: *Qui dicit, in Baptismo peccata non funditus dimitti, dicat etiam, in mari rubro Aegyptios non veraciter fuisse mortuos, &c.* quæ verba per similia sunt, verbis Lutheri supra citatis.

321. Baptizatos non amittere gratiam, cum per eum nullam acquirant, sed magis de accepta, tanquam per sigillum & chirographum Dei certi reddantur. *Caluin. lib. 3. cap. 2. §. 11. 12.*

Sed

Sed hac ratione omnes baptizati, essent prædestinati, nec Deum per peccatum possent offendere, potestq; homo fidem amittere & abicere, cur non & gratiam?

322. Rursum, baptizatum, inquit, non posse amittere gratiam. Cum Apostolus planè scribat contrarium, eos scilicet, qui semel illuminati, & Spiritus sancti participes effecti sunt, cum prolapsi fuerint, impossibile esse renouari ad pœnitentiam, eosq; qui circumciduntur euacuari à gratia. Galat. 5. Hebr. 6.

323. Baptizatum, non solum per peccatum amittere gratiam, sed etiam fidem. *Kemnit. pag. 48.* At hinc euidenter sequitur, Lutheranos non habere fidem, cum opinione eorum, homo nunquam careat peccato, imò secundum Illyricum ipsum sit substantialiter peccatum: Et mirum, quid plus minusuè homo credat peccato obnoxius, quàm à peccato absolutus?

324. Concilium Tridentinum, Sophistico & Sycophantico supercilio damnasse Lutheri sententiam, quam habet in libr. de Capt. Babyl. quod baptizatus, quantumcunque peccet, non possit amittere gratiam, nisi nolit credere, cum totum ipsius dogma, propter quod illam pronuntiauit, non inspexerit nec allegauerit. *Kemnitius loco citat.* Cum & dogma illud & sententiam pariter damnauerit, nempe per fidem reparari vim & gratiam baptismi per peccatum amissam: de quo paulò post.

325. Nulla peccata, quantumuis enormia damnare baptizatum, nisi solam incredulitatem. *Luth. de Capt. Babyl.* Cum eandem sententiam, licet excusare conetur Lutherum, Kemnitius Epicuream vocet, aperit enim ianuam ad omnia facinora perpetranda.

326. Lutherum non sensisse, quod Pontificij illi tribuunt, nullum peccatum damnare, vel (vt loquuntur) profundare hominem, nisi solam incredulitatem, cum scripturæ, alia passim commemorent, sed hæc omnia non nocere nec damnare, si quis ea sibi per Baptismum acceptum remitti credat. *Kemnit.* Cum hoc ipsum dogma, rememoratione putà baptismi peccata remitti, planè sit impium & epicureum.

Millesexcenti Errores,

327. *Lac. 13.* Sola recordatione baptismi, hominem post lapsum reparari ad gratiam. *Luth. Caluit.* At si recordatio sufficit, ad quid scriptura tam arctam & austeram requirit pœnitentiam? Neq; enim dixit, Nisi reminiscamini baptismi vestri, sed, Nisi resipiscatis & pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.

328. Rursum: Sola reminiscencia baptismi, peccata volunt absorberi, & gratiam reparari: An ergo ægrotus sola recordatione acceptę medicinę, redit vel redire potest ad sanitatem? & non magis alio nouoq; opus habet pharmaco?

329. Concilium Tridentinum, non prius ausum fuisse damnare Lutheri sententiam, de recordatione baptismi, quàm eam deprauaret, cum Lutherus non loquatur de perfunctoria & historica recordatione, sed quę fide & pœnitentia est vestita & informata, neq; enim veram sine pœnitentia esse fidem. *Kemnit.* Cum Concilium non damnet eos, qui docent recordatione historica, sed qui sola memoria & fide docent peccata dimitti, ubi Concilium addit expressę fidem, quam Kem. studiosę plerumq; omittit, dum Canones Conc. examinat: Et si vera fides non est sine vera pœnitentia, quomodo sola iustificat, vel peccata remittit?

*Lib. 1. de Nupt.
& Concupisc.
cap. 33.*

330. B. Augustinum in eadem fuisse, cum Luthero sententia, quoad memoriam baptismi, licenim scribit: *Omnia prorsus mala hominum regeneratione mundantur, non solum præterita, sed etiam quę postea humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur, non ut baptismus, quoties peccatur, toties repetatur, sed quia ipso, quod semel datum est, sit, ut non solum antea, sed etiam postea, quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Kemnitius loco cit.* Cum Augustinus id velit duntaxat, nullam esse peccatorum remissionem, etiam per pœnitentiam, vel alia contrã peccata instituta media, nisi homo baptizetur. Vnde, *Quid prodest (inquit) antea baptismum pœnitentia, nisi baptismus sequeretur? vel postea prodesset, nisi præcederet?* Hinc ad Bonifac. *Semel acceptam paruulus gratiam, non amittit, nisi propria impietate, si ætatis accessu tam malus enaserit, tunc enim etiam propria habere incipiet peccata, quę non regeneratione, sed alia curatione sanantur, nempe, pœnitentia.* Nulla ergo baptismo peccata remittuntur, nisi præterita, post baptismum verò contracta, sola pœnitentia. *Heb. 6.*

Epist. 23.

331. Baptismum esse fœdus & pactum Dei cum homine, quod nunquam ex parte Dei frangatur, quantumuis homo per peccatum frangat, proinde nullo alio remissionis vel gratiæ remedio homini post lapsum opus esse, quam recordatione sui fœderis, quod nondum penitus est dissolutum. *Remittit.* Mirum nō frangi fœdus ex parte Dei, cū Apost. scribat, impossibile esse, eos qui lapsi sunt, renouari per baptismum? Nec vllum fœdus Dei cum homine absolutum sit, sed conditionatum, vt si seruet homo quod præcipit, ipse seruet quod p̄mittit. *Vnde non ait (vt sup.) Nisi remisissamini bapt. vestri, et fœderis mei, quod vniq̄ solutum est per lapsum, sed, nisi poenit. egeritis, omnes simul peribitis.* Sicut. n. bapt. ita fœdus quoq; est post baptismum poenitentia, iuxta illud, *Si impius egerit poenitentiam, agā et ego, et c.* Item: *Si impius auerterit se ab impietate sua, omnium iniusticiarum quas operatus est, non recordabor amplius.* Et: *Si iustus, vel baptizatus, auerterit se à iustitia sua, omnium iusticiarū non recordabor amplius:* vide, an fœd⁹ ex parte Dei frangat?

Hebr. 6.

Luc. 13.

Ezech. 18.

Ierem. 18. 33

332. Ap̄stos post bapt. reparari ad gratiam per fidem. Sed obsecro, cū doceant, non solum gratiam, sed fidē quoq; per peccatū amitti (vt s.) quomodo potest per fidem, quam non habet, redire ad gratiā? Si enim per fidem redit ad gratiam, fidem ergo nō amiserat, quando gratiam amiserat: Et si nunquā homo (opinionē eorum) peccato caret, fides autem cū peccato subsistere non potest, quomodo, vel quando fidem acquirit vel habet homo?

333. Si redeat fides post baptismum in p̄missionē diuinam baptizato factā, in momento absorberi omnia peccata per eandem fidem. *Rem. ex Luth.* Sed quo pacto obsecro, peccatū absorbetur per fidem, cum (vt dictum est) opinionē eorum, fides absorbeatur per peccatum? quo medio reparabitur eorum deperdita fides? nū etiam historica & perfunctoria recordatione baptmi, De fide verò, an, & quomodo iustificemur, per eam, alibi. Deniq; si sola fide & recordatione bapt. homini delent̄ peccata post baptismum contracta, facilior erit reparatio, quàm regeneratio, cum facilius sit credere se esse baptizatum, quam re ipsa baptizari.

334. Secundam post naufragium tabulam, figmentum esse
Papisti

Millesexcenti Errores,

Papisticum. *Kemnit. Heshus. tit. 15.* Atque omnium eam esse Patrum sententiam, ex Scripturis desumptam, nec ipsi diffitentur, qui negant, impossibile est enim, iuxta Apostolum, eos qui prolapsi sunt, denuò renouari ad pœnitentiam, &c.

Hebr. 6.

335. Baptismum esse nauem integram, quæ nûquam frangatur, ad quam peccator ubi exciderit, vel exilierit, facile ac securè (si velit) redire possit. *Kemnitius.* Cum eo ipso, quo homo peccat, nauem frangat, frangit enim fœdus, quod cum Deo pepigit. Et si homo redire potest, quomodo, inquit Apostolus, homini prolapsi, impossibile esse redire?

Hebr. 6.

336. Non opus esse homini secunda post naufragium tabula, cum naufragium nullum faciat, sed voluntariè ex nauì integra, in mare & fluctus præcipitè se dedat, & sine tabula enatare, vel ad nauem possit redire. At si sine tabula enatare posset, nec nauì quidem opus haberet. Itaq; pœnitentia opus est, siue ad nauem redire, siue enatare velis.

337. Pontificios docere, non posse homines, etiam per veram pœnitentiam redire ad gratiam baptismi amissam, proinde fidelibus laqueum desperationis iniicere: sed num ipsi desperati homines? qui sola fide sine pœnitentia reditum hominibus ad gratiam promittunt? cum ad fideles, non ad infideles dictum sit, Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis? Sinè fide verò vllum iustificari hominem, nullus vnquam docuit Pontificius.

Luc. 13.

338. Pontificios docere, homines etiam per veram pœnitentiam non posse redire ad gratiam baptismi. *Kemnit.* Sed si gratia baptismi per peccatum amittitur, quomodo per pœnitentiam reparatur? Redit ergo homo per pœnitentiam ad gratiam Dei, non baptismi.

339. Pontificios docere, lapsos post baptismum per propriam contritionem & satisfactionem recuperare gratiam iustificationis, cum tamen gratia sit gratuita. *Kemnit.* In duobus hallucinantur, primò, quod gratiam à Confessione & satisfactione penitus excludant. Secundò, quod fingunt, Pontificios Contritionem

tritionem (in quantum nostra, & gratia Dei destituta) causam facere vel effectiuam, vel meritoriam, cum dispositionem esse solummodo doceant.

340. Vanitatem & afflictionem esse spiritus, quicquid extra fidem veritatis post baptismum laboratur. *Kemnit. ex Luth.* Cum scriptura, ipsam quoque fidem sine charitate & operibus vanam & inanem esse testetur, *Quid enim proderit* (inquit Apostolus) *si quis fidem habere se dicat, opera vero non habeat? numquid fides eius saluare poterit? nonne fides sine operibus inanis est & mortua?* Item: *Si omnem fidem habuero, charitatem autem non habeam, nihil sum, &c.* Itaque si per fidem veritatis fidem intelligant charitatis, non discedunt à verò: si autem solam nudamque fidem, vani sunt & inanes. Iac. 2.
1. Cor. 13.
Galat. 5.

341. Hominem per baptismum, solius fidei, non autem totius legis seruandæ debitorem constitui. *Kemnit. ex Luth.* Cum Christus expressè dicat, *Euntes baptizate omnes gentes, docentes eos seruare, quaecumque præcepi vobis.* Et omnibus baptizatis dictum est *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: Qui soluerit vnum ex minimis istis, minimus vocabitur in regno cælorum. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis, &c.* Marc. ult.
Matth. 19.
Matth. 5.
Luc. 13.

342. Baptizatum ad nullum opus, nullamque obligari legem cum per fidem & baptismum liberatus sit ab omni lege, iuxta illud: *Iusto lex non est posita, &c.* *Luth. de libert. Christiana, & alibi multis loc.* Sed mirabile est, cum Circumcisio in veteri testamento, hominem non liberauerit à lege, sed debitorem eius constituerit, quomodo baptismus liberet, cum non minus signaculum sit nouæ legis, ac circumcisio veteris? Sed & Christus, non venit soluere legem, sed adimplere? 1. Tim. 2.
Galat. 5.
Matth. 5.

343. Apostolum, quando ait, *Hominem per Circumcisionem fieri debitorem vniuersæ legis*, non loqui ex persona propria, sed ex mente quorundam Pseudoapostolorum. *Kemnit. & Calvin. in Antid. Concil. can. 7.* Cum disertè dicat: *Testificor omni circumcidenti se, quia debitor est vniuersæ legis, An falsus testis Apostolus?* Galat. 5.

Millesexcenti Errores,

344⁸ Lutherum, quando ait, Hominem solius fidei, non autem legis debitorem constitui per baptismum, non velle vel intelligere, quod baptismus vel ipsa fides eximat hominem ab obedientia legis, sed id duntaxat, quod lex ipsa vel observatio legis, nihil conferat ad gratiam & iustificationem hominis, sed sola fides. *Kemn. pag. 49.* Atquitallem explicationem in verbis Lutheri ego non inuenio, quæ si etiam inueniretur, Scripturæ & rectæ fidei aduersaretur, Neq; enim sola sine charitate fides iustificat. *Supr.*

Galat. 5.

In argumen. epist. ad Galat.

345. Rursus. Lutherum (aiunt) non sentire, quod homines baptizati nulla teneantur lege. Cum hæc eius sint verba; *Summa ars, summa sapientia est Christiana, nescire legem, ignorare opera & totã iustitiam actiuam.* Sed & legem seruatu esse impossibilem, docet ubiq; An obligat hominem ad impossibilia?

Can. 7.

346. Concilium Tridentinum definire, gratiam baptismi pendere à conditione seruaturæ legis. *Kemn.* Cum Sess. 6. expresse doceat, nulla opera nostra meritoria esse antè gratiam iustificationis. Et in isto ipso Can. 7. quem examinat Kemnitius, Ex Baptismo nasci debitum seruandæ legis; quomodo ergo Concilium docet, gratiam baptismi pendere à conditione seruaturæ legis? cum neminem ante baptismum ad seruandam legem obligari doceat?

347. Hominem per fidem & baptismum, nullo teneri decreto Papæ. *Passim omnes.* Cum Scriptura iubeat, seruare ea, quæ docent ij, qui sedent suprâ cathedram Moysis, quantumuis mali sint vel discoli? *Matth. 23. Deut. 17. Heb. 12. 1. Pet. 2. &c.*

348. Per baptismum omnia vota, præter id, quod in ipso fit baptismum, fieri irrita, siue antè, siue post baptismum fuerint emissa. *Luth. de Capt. Babyl. Kemnit.* Cum Scriptura sua vnumquemq; seruare vota distinctè iubeat, dicens, *Si quid vouisti, redde; melius est enim non vouere, quàm post votum vota non reddere.* Alibi.

*Ezech. 5.
Psal. 75.*

349. Plura vouere hominem in baptismum, quàm per totã præstare possit vitam, proindè vana esse vota reliqua. Vanum est ergo, quod scriptura non solum mandata sed etiam vota iubet seruare? *Supr.*

350. Hæc

350. Hominem, omnia quæ potest facere, teneri facere, proinde vanum esse quicquam vouere, cum absq; voto teneatur id quod vouet facere. Quæ vanitas? Si enim facere tenemur omnia quæ possumus, cum & vouere possimus, & seruare, quod vouemus, an vouere quoque & vota reddere tenebimur?

351. Omnia vota quæ post baptismum emittuntur, ad traditiones pertinere humanas, quibus homines illaqueantur, & dignitas baptismi enervatur. *Kemn. loc. cit.* Cum ad vouendum cogatur nemo, sed sua sponte, quod quisq; vult, non coactè voueat? Vota verò liberè emissa seruare & adimplere, non homines, sed Deus seruare iubet & natura. Supr.

352. Baptismum semel ritè collatum, iteratò conferri posse. *Anabapt.* At cur iterari debeat, cum characterem indelebilem imprimat, ratio reddi potest nulla.

353. Baptismum non imprimere characterem. Atqui imprimere, scriptura non contradicente, Concilia tradiderunt & Patres. Supr. de Charact.

354. Characterem non esse causam, ob quam baptismus semel collatus, iterari non possit aut debeat, Atqui assignari alia hæctenus potuit nulla.

356. Baptismum non repeti propter diuinam institutionem & ordinationem. *Kemnit. 2. part. Exam. à pag. 26. de Chara* Cum hoc ipsum sit quod quæritur, vbi talis institutio, vel ordinatio diuina? & si esset, quam ob causam? an ob aliam, quam propter characterem?

357. Baptisma non iterari, quod sit pactum & fœdus perpetuum, quod nunquam ex parte Dei frangatur. De hoc supra, Hoc enim ipsum est, cuius causa quæritur, Cur nempe fœdus hoc, quoties per hominem frangitur, per idem non restituatur, et si enim ex parte Dei (quod tamen minimè verum est) non frangeretur, ex parte tamen hominis frangitur, vnde ex parte saltem hominis repeti deberet.

358. Baptismum non esse iterandū, quod scriptura iterandū esse non tradat. *Hanc rationem Kem. certam, firmā & perspicuam esse*

Millesexcenti Errores,

Lib. 7. de Tri.
vii. cap. 4.

scribit: At quid in ea sit firmitatis, ego non perspicio. *Dicimus enim*, inquit Augustinus, *in Deo tres esse personas, non quia scriptura dicit, sed quia non contradicit.* Hoc enim ipsum est, quod quaeritur, Quam ob causam, non toties per baptismum abluatur, quoties maculatur homo? cum propter abluionem peccatorum baptismus à Deo sit institutus?

359. Non iterari baptismum, quia nullum extat in sacris literis exemplum, semel ritè baptizatum, denuò fuisse rebaptizatum. *Hanc quoq, rationem solidissimam autumat Kem.* At Pontificij stolidam magis quàm solidam arbitrantur, cum ab auctoritate negatiua ducat argumentū: Neq; enim rectè inferimus, Non legitur factum, ergò non est faciendum. Et quæ causa? cur nec factum sit, nec fieri debeat? an quod semel prodest, sæpius adhiberi non debet aut potest, vt sæpius profuit?

360. Non repeti baptisma, quia in veteri lege, non legitur iterata Circumcisio. *Kemnit.* At ratio hæc, quemadmodum & superiores, demonstrat tantummodo quid factum fuerit, causam verò, cur aliter fieri non potuerit nec debuerit, non reddit: quin planè Pontificiorum sententiam confirmat, causam enim, propter quam circumcisio non iterabatur, aliam Patres non assignat, quàm quòd indelèbilem characterem in corpore imprimebat & relinquebat, ex quo inferunt, baptismum quoq; characterem aliquem in animam imprimere, ob quem repeti non debeat.

361. Baptismum non repeti, quia est regeneratio, sicut autem non est nisi vnica generatio, ita quoq; non est nisi vnica regeneratio. *Kemnit.* At longè diuersam esse generationis corporalis & spiritualis rationem, quis non videt? Vita enim per mortem corporalem ita extinguitur, vt restitui naturaliter omninò non possit, at vita spiritualis per mortem spiritualem non penitùs aufertur, sed regeneratione restituitur, si autem semel potest restitui, cur non sæpiùs? cum non minùs post perdat, quàm antè baptismum?

Matth. 26.

362. Baptismum non repeti, quia est cōmemoratio mortis Christi, quæ repeti non potest. *Kem.* At hac ratione, nec Eucharistia

ristia repeti deberet, cum & ipsa sit commemoratio passionis Christi, ipso dicente Christo, *Hoc facite in mei commemorationem.* Et si semel baptizamur in memoriam Christi, cur non sæpius? An semel duntaxat celebranda est memoria passionis Christi?

363. Neminem esse iteratò baptizandum, quia inquit Christus, *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet.* *Kemnit.* An ergo Synchdicòs saltem, baptizàdi sumus pedes? Et si autè lotus, quamdiu lotus est, non lauetur, vel lotionem indigeat, ubi tamen post lotionem denuò maculatur, denuò lauatur. In sensu ergo composito, non autem diuiso, lotus non indiget lotionem. *Ioan. 13.*

364. Baptismum, semel collatum, non conferri sæpius, quia, inquit Apostolus, eos qui semel illuminati & prolapsi fuerint, impossibile esse, denuò renouari ad pœnitentiam, ubi per renouationem (inquit Kemn.) intelligit regenerationem. Sed ne hæc ratio solida est, causam enim quærimus, cur non possit aut debeat homo sæpius renouari, maximè cum idem scribat Apostolus, renouari hominem de die in diem. *Hebr. 6.* *2. Cor. 4.*

365. Non esse multiplicandum baptismum, quia inquit Apostolus, vnum esse baptismum, sicut vnus est Deus. *Kemnitius.* At vnum, non multiplex esse baptismum, nemo negat, rationem verò quærimus, Cur hoc ipsum, sicut alia quædam Sacramenta sæpius non reperatur. Etenim vna quoque est Eucharistia, & tamen quia characterem non imprimit, repetitur. *Ephes. 4.*

366. Non repeti Baptisma, quia Ecclesia repetere non consuevit. *Kemnit.* Cum vel hanc solam ob causam non repetat, quod characterem indelebilem imprimat. *Augustini. libr. 1. de Bapt. cap. 6.*

367. Baptismum non repeti, quia est ingressus in Ecclesiam, & initiatio fidei, qui autem semel ingressus est, intrus est, opus non habens intrare denuò. *Caluin. lib. 4. Instit. cap. 18, §. 19.* Quasi, qui semel ingreditur domum, non possit egredi regredi- que denuò?

368. Baptismum non adhiberi sæpius, quia est sigillum æ-

Millesexcenti Errores,

ternæ prædestinationis, sicut autem vna est prædestinatio, ita vnica tantum prædestinationis obliuio. *Idem Caluin.* Sed si est prædestinationis obliuio, quomodo est ingressus in Ecclesiam & fidei initiatio? Adhæc, An eadem obliuio, idemq; sigillum, si obliteretur scriptura, adhiberi non potest vel debet denuò? Sed & hoc ipsum sigillum, Characterem esse alij intelligunt. An verò Sacramenta sigilla sint, supra diximus.

369. Baptismum non repeti, quia quod reperatur necessitas exigit nulla, quandoquidem ad deletionem peccatorum, quæ post baptismum committuntur, sola baptismi sufficiat recordatio: Sed hæc causa nec vera est, nec sufficiens: peccata enim non deleri baptismi recordatione, sed secunda post naufragium tabula, id est vera poenitentia, supra diximus: Et si etiam deleret, longè magis ipsum baptisma repetitum deleret. Itaq; si characterem tollas, rationem solidam, cur baptismus semel collatus conferri sæpius non possit aut debeat, non assignabis.

370. Infantes nondum ab utero matris omninò solutos, esse baptizandos. *Luth. in suis Connualib. tit. de Baptismo.* Et eod. loc. contrarium.

371. Infantes in necessitate baptizatos, esse rebaptizandos. *Luth. loc. cit.* Et eod. loc. contrarium.

1000.3. Infantes in necessitate non esse baptizandos, abrogandūque & omittendum esse eiusmodi baptisma. *Caluiniam.* Cum Scriptura dicat, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum cælorum.* Aut ergò à regno cælorum excludendi, aut in necessitate baptizandi sunt infantes. Supr.

372. Baptismum paruulorum, non esse ratum, nisi eum ratum habeant, vbi ætatis & rationis accessu adoleuerint. Hunc errorem damnat Concilium Tridentinum, can. 14. quem Kemnicus tribuit Erasmo, nec tamen ab ipso probatur, aperit enim ianuam ad Anabaptismum.



De Cæremoniis Baptismi.

373. **C**æremonias, quæ à Pontificiis adhibentur circa baptismum, tanquam Papisticas esse reiiciendas, cum scriptura nullas præscribat vel præcipiat. Sed aliud visum est Maioribus nostris, omnibusq; antè nos Christianis, qui eas vtique nec approbassent, nec recepissent, nec posteritati commendassent, si contrà Deiverbum quoquo modo essent, aut vtilitatem nullam præberent. Sed & Ecclesiam audire iubemur, Matth. 18.

374. Abolendos esse baptismi Exorcismos. Cum Luth. in lib. cont. Cochl. ann. 33. asserat, per hos, paruulis conferri fidem, in qua baptizentur.

375. Infantes non esse obsessos à Diabolo, vt necesse sit illos exorcizare. At si obsessi nō sunt corporaliter, sunt tamen spiritualiter, filij enim iræ non Dei nascuntur, suntq; sub potestate principis tenebrarum & peccatorum. Cum ergo baptismus cōsecratio quædam sit hominis, qua Deo consecratur, & à regno Sathanæ transfertur in regnum Dei, rectè exorcismi contrà Sathanam adhibentur.

376. Exorcismos, ad traditiones pertinere humanas, non diuinas. Cum Deus, modis omnibus per fidem & verbum suum, inimico suo resistere, atque traditiones Ecclesiæ seruare iubeat. Iacob. 4. 1. Petri 5. Marc. ult. Matth. 18. 25. Roman. Hebr. 13. 2. Thessal. 2.

377. Non esse abrenunciandū Sathanæ in baptismo. *Caluina*. At mirum, si abrenunciandum non sit inimico Dei & hominum? An duobus homo seruire potest Dominis, Deo & Diabolo? Cæremonia alioquin antiquissima, Tertul. lib. de spectacul. cap. 10. Cyp. lib. de dupl. martyr. August. lib. 1. de Symbol ad Catech. Ambr. lib. 1. de Sacram. cap. 2. & lib. 2. cap. 7.

378. Pontificios per abrenunciationem Sathanæ non aliud intelligere & testificari, quàm quòd Baptismi gratia pen-

Millesexcenti Errores,

pendeat à conditione seruata legis. *Kemn. loc. cit.* Cum eo ipso, quo renunciamus Sathanæ, testemur & profiteamur, nos nec Christo, nec legi eius seruisse, sed Sathanæ, posthac seruituros nos Christo eiusq; legi.

379. Signationem Crucis, baptizandis non esse adhibendam. *Caluin.* Sed cur reiicienda sit, cum omnium vetustissimorum Patrum testimonio, ex Apostolica sit traditione, ratione nullam afferunt, An fortè ne Sathanas eo signo offendatur, vel propulsetur? quemadmodum etiam idcirco Sathanæ abrenunciare nolle videntur, ne eum offendant, vel in quietà possessione perturbent. *August. de Catech. rudib. cap. 18.*

380. Exufflationem baptismi Cæremoniam esse Papisticam & exufflandam: Mirum quod non ipsum quoq; exufflent Christum, qui eadem usus est cæremonia, cum Apostolis sanctum daret spiritum: Eos verò exufflandos esse, qui exufflationem exufflant; scribit *Augustinus*, cuius verba sunt: *Ecclesia filios fidelium non exorcizaret, nec exufflaret, si non eos à potestate tenebrarum, & à principe mortis erueret.* Et infra: *A toto mundo exufflandus esses, si exufflationi, qua princeps huius mundi à paruulis euicitur, contradicere voluisses.*

381. Gustum Salis in baptismo, Cæremoniam esse Papisticam. Cum eam tota approbarit & obseruarit hætenus Ecclesia, vnde manifestè probant, idem esse Papisticum & Catholicum. De qua re *Orig.* antiquissimus Scriptor, *Homil. 6. super Ezech. Concil. 3. Carthag. can. 7.* Ad quam etiam alluisse videtur *August.* cum de seipso puero loquens, ait, Signabar in signo Crucis eius, & condiebar eius Sale. *lib. 1. Confess. cap. 12.*

382. Cæremoniam illam, qua tanguntur baptizandis Salinâ nares & aures, inanem esse. *Caluin.* Cum eam explicat *Ambros. lib. 1. de Sacram. cap. 1.* Et de iis, qui iniantur myst. *cap. 1.* Ea q; usus est Christus, cum aures aperuit surdi. *Marc. 7. Ioan. 9.* Quærant ergo à Christo, cur tam ridicula usus fuerit Cæremonia ad tollendam hominum cæcitatem, cum ea ad obcæcandos magis, quam illuminandos valeat, & sine ea quos volebat, illuminare poterat?

383. Pon-

Ioan. 20.

Lib. 6. cont. Iul.
cap. 2.

383. Pontificios tam pertinaciter suis inherere cæremo-
niis, vt Sputum & Salem in baptismo ipsi præferant baptismo.
Caluin. in Antih. Calumnia est, nemo id docet.

384. Non rectè manus imponi baptizandis. Cum Chri-
stus manus imposuerit paruulis. Et Augustin. ipsos certo quo-
dam modo per signum Crucis & impositionem manuum san-
ctificari scribat. lib. de pec. merit. & remis. cap. 26. Clem. lib. 7.
cap. 39.

385. Vnctionem Chrysmatis, quo baptizandi vnguntur fœ-
tidam & Ethnicam esse cæremoniam. *Kemnitius & alij passim.*
Sed Christiani à chrysmate sic vocati, chryisma non abhorrent,
quin potius eos qui non sunt chrysmati, cum Cyrillo nec Chri-
stianos quidem veros esse agnoscunt, quandoquidem Christia-
norum cæremonias, Christianus verus nullus vel contemnit vel
negligit. Cum ergò homines in baptismo Christiani efficiuntur
& nominantur rectè chrysmate vnguntur.

*Catech. 2. & 3.
Idem Aug. libro
3. con. lit. peccato
cap. 104.*

386. Consecrationem seu benedictionem aquæ baptisma-
lis magis esse prophanationem, & supersticiosam baptis-
mationem, quàm sanctificationem. Cum eam ipsam Luthe-
rus, tanquam Ecclesiasticam cæremoniam non improbet, ac re-
tinere suadeat. *Regenerationis enim aqua (inquit Dyonis.) sacris*
prius inuocationibus consecratur. Vid. August. lib. 6. contr. Iulian.
cap. 8. Extract. 118. in Ioan.

Cap. de Baptis.

387. Pontificios, Oleum baptisimi, ipsi præferre baptismo.
Caluin. cit. §. 11. Cum sine oleo in necelsitate, nunquam vero ba-
ptizent sine aqua.

388. Oleum Baptisimi, non pluris esse pendendum quàm
stercus. Sic enim loquuntur passim, *Caluin. lib. 4. inst. cap. 19.*
Qualia ora, talia verba, quæ si apud Maiores suos effutiissent, ster-
coribus obruti, dignas impudentiæ & blasphemix pœnas, luif-
sent.

389. Pontificios sentire gratiam in vniuersum detrahi pos-
se baptismo, & referri ad chryisma. *Kemn. pag. 62. de Confirm. ex*
gloss. quod etiam diligenter obseruandum esse scribit. Sed nec in Glos.

M

nec

Millesexcenti Errores,

nec apud ullos tale quidpiam legitur Pontificios, qui in utroque Sacramento gratiam, plenior tamen in uno, quam in altero, conferri docent.

390. Baptizatos non esse ullo modo cogendos ad seruandam legem. Mirum: Circumcisi coguntur seruare legem Iudeorum, Mahumetani Turcarum & Persarum, Christiani cogendi non sunt, ut seruent legem Christi?

391. Ecclesiam Christi ignorare coactionem ad fidem per vim externam, poenasque temporales, cum solum habeat gladium Spiritus, caetera pertinere ad magistratum politicum. *Kem. pag. 60.* Quasi ad Ecclesiam Christi, non ipse quoque pertineat magistratus politicus, & eius gladius? quem idcirco à Deo traditum sustinet, ut eo Christi honorem & Ecclesiam defendat. Deut. 17. 3. Reg. 18. Si autem censuris acquiescerent, aut corrigi possent homines, brachium saeculare implorare Ecclesia necesse non haberet.

Deut. 13.

392. Tridentinos Patres non esse contentos gladio Spiritus, sed alia praeterea poena cogere velle discedentes à pacto baptismi, ut semper in promptu habeant paratas faces, quibus accendere possint & rogos, & funesta bella, si quis non in omnia eorum coniuret placita. *Kemnit. ibid.* Cum eodem loco fateatur, peculiari lege à Deo, magistratui praescriptum esse, ut blasphemii puniantur. Concilium autem non vult, nisi notorie blasphemos & haereticos debere puniri, idque à magistratu saeculari. Si quis ergo gladium metuat, haereticus & blasphemus non fiat, aut esse desinat, alioquin vel ipsis testibus haereticis, non sine causa gladium portat Ecclesia, ex magistratu politico & Ecclesiastico constituta, Rom. 13. *Quod si ipsos nos iudicaremus (inquit Apostolus) non iudicaremur, dum autem iudicamur, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur: tradunturque homines Sathanae in interitum carnis, ut spiritus saluus fiat in die*

Domini. 1. Corinth. 5. 11. De qua realibi.

De Sacramento Confirmationis.

393. Confirmationem, sicut in regno Pontificio v. *Ex Kemn. in 2. part. Examin. d pag. 60.*
 surpatur, non solum cæremoniam esse otiosam & futilem, sed multis superstiosis & impiis opinionibus

& traditionibus contaminatam. *Kemn. pag. 73.* Verum Pontificij religiosius esse arbitrantur, ea quæ Maiores nostri cæteriq; per orbem Christiani, nec vani, nec impij, nec superstiosi, scriptura non reclamante tradiderunt, pari religione & fide seruare & docere.

394. Confirmationem non esse verè & propriè Sacramentum. Sed cum Sacramentum esse omnes hactenus tradiderint orthodoxi, nec oppositum ex scripturis queat probari, cur ab Ecclesiæ vniuersæ fide & doctrina discedamus? an fortè difficile est cuius, quæ velit credere? affirmare? negare?

395. Confirmationem non habere fundamentum in scripturis sacris. At si non haberet, eam, vt scripturis consentaneam, ipsa quæ veritatis columna est & fundamentum Ecclesia, nunquam inter Sacramenta numerâisset, recepisset, tradidisset. An fundamentum & Columna veritatis, contà ipsum errauit fundamentum veritatis? at certè si errare posset, fundamentum veritatis nec esset, nec dici posset. *1. Tim. 3.*

396. Nullam esse in scripturis sacris Pontificiæ huius cæremonia mentionem. Quid est ergò, quod Apostolus ad Corinthios scribens, ait: *Qui confirmat nos Deus, & qui vixit nos, & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris, &c.* En Confirmationem, Vnctionem, Signationem, & gratiæ collationem. Et locum quidem de Sacramento hoc intelligunt, Ambrosius de iis, qui initiantur, cap. 7. Anselmus, Theodoretus in Commentar. *2. Cor. 1.*

Millesexcenti Errores,

397. Confirmationem non habere certum ritum in scripturis exprefsum. An ergo impositio manuum, qua Spiritum sanctum dabant Apostoli, ritus non est exprefsus? Act. 8. 19.

398. Ritum illum non habere peculiare mandatum. An ergo Apostoli eo vti sunt sine mandato? an vti fuissent, nisi vsum eius apud posteros manere voluissent?

399. Ritum illum non habere in scripturis sacris exemplum. Dictum: An enim exemplum non sufficit Apostolorum?

400. Ritum istum non habere promissionem gratiae. Cum Apostoli per eum contulerint Spiritum sanctum. *loc. cit.*

401. Ritum illum Apostolorum non fuisse constantem & perpetuum, sed temporaneum. At quo scripturae testimonio? an vt pro vno duntaxat, & non pro omni tempore Spiritum sanctum conferrent & manus imponerent, mandatum acceperunt Apostoli?

402. Ritum illum, non pro omnibus, sed pro illis duntaxat, qui in Ecclesia primitiua confirmatione fidei & Spiritus indigebant fuisse institutum, & ab Apostolis vsurpatum. Verum Pontificij talem ritum, per quem gratia confertur, ex institutione diuina, Sacramentum vocant. Si ergo in primitiua Ecclesia Sacramentum fuit, dicant, quando, vel quomodo esse desierit? quis reuocauit? quis abrogauit? aut ad posteros nihil attingere aliquando docuit?

403. Ritum illum, doctrina Euangelij vbiq; propagata & confirmata, desisse, nec amplius necessarium esse. At dicant, quo tempore vera Euangelij doctrina vbiq; fuerit propagata? & confirmata? Cum non vereantur *Wigandus*, *Illyricus* & alij passim palamq; scribere, ab ipso statim nascentis Ecclesiae exordio veram Euangelij lucem & doctrinam, coepisse declinare & obscurari? Et si vlllo vnquam seculo ad confirmandam veram Euangelij doctrinam, caeremonia illa necessaria fuit, hoc omnium doctrinarum & religionum confusissimo vel maximè erit.

404. Ad oculum patere, per ritum illum non amplius conferri Spiritum sanctum, sicut in primitiua Ecclesia conferebatur.

At id

De bon. & mal.
German.

At id neq; videmus fieri in baptismo: An ideo non confertur, quia non videtur.

405. Non conferri, nec inuisibiliter quidem gratiam & Spiritum sanctum per Confirmationem, Dictum putà. Augustini verba sunt: *Neq; enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus, per manus impositionem modo datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei & Ecclesie primordia dilatanda, quis enim nunc hoc expectat? ut ij quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant loqui linguis? sed inuisibiliter & latenter intelligitur, per vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari.* Lib. 3. de Bapt. cap. 16.

406. Si omnes Papæ & Papistæ manus simul & pedes milles imponerent, non posse nec atomum quidem gratiæ conferre. Rectè: neque enim hominis, sed solius est Dei, conferre gratiam. Veruntamen mirum videri potest, eos non posse per manus impositionem, cum possint per totius corporis ablutionem: eadem sanè scriptura, quæ testatur Apostolos contulisse Spiritum sanctum, per corporis ablutionem, testatur quoq; contulisse per manus impositionem.

407. Ridiculos esse Pontificios, quod vsque adeò virgeant manuum impositionem, cum eam ipsi sustulerint, & in locum eius signationem, vntionemq; surrogarint. *Kern. pag. 64.* Quasi ipsa signatio & vntio, quæ manu fiunt, impositio manus dici non possit; Hinc cum quidam à Christo peterent, ut manus lunatico imponeret, digito duntaxat linguam & aures eius retigit. Marc. 7.

408. Innocentium Tertium, & Concilium Florentinum expressè afferere, abrogatam esse manuum impositionem, & locum eius substitutam esse vntionem. Cum Innocent. aliud non dicat, quàm per frontis chrysmationem designari mantis impositionem. Concilium verò, loco manus impositionis dari nunc in Ecclesia Confirmationem; non quod negent vel Apostolos cum manus imponerent, ea impositione signasse & vnxisse, vel modo Episcopos dum signant & inungunt, manus imponere, Sed no- c. Cum uenisset Extr. de Sacram. In Instruct. Ar. mea.

Millesexcenti Errores,

men duntaxat esse variatum, & modo vocari Sacramentum hoc Vnctionem & Confirmationem, quod veteres vocabant manus impositionem.

410. Pontificios persuadere rusticis, infixionem alapæ in Confirmatione, esse impositionem manus. *Kemn. pag. 70. Cauilatio*: facilius tamen id persuaserint, quam ipsi Confirmationem non esse Sacramentum, cum de hoc nec rustici quidem aliquando dubitauerint.

411. Apostolos non fuisse vsos vnctione, cum manus imponebant. Sed cum scriptura nec affirmet, nec neget, cur magis negatur quàm affirmatur? maximè cum vsos plurimum fuisse oleo, cõstet *Marc. 6. Iac. 2.* Imò in hoc ipso Sacramento vsos fuisse vnctione, non obscure colligitur ex verbis Apostoli supra citatis, ait enim: *Qui confirmat nos Deus, & qui vnxit nos & signauit nos, &c.* quibus si Patrum addas testificationem affirmandum magis erit, quàm negandum.

2. Cor. 3.

412. Conciliorum acta testari, Chrisma non ab Apostolis sed à Papa Syluestro fuisse institutum. *Brent. in Confess. Wirten. cap. de Bapt.* Cum *Kemniti* vnctionem hanc tempore *Cypriani* & *Tertulliani* in vsu fuisse, non neget, nisi quod eam ex erroribus *Montanistarum* profluxisse autumat. Nec ipsum Chrisma, sed eius duntaxat legitimum vsum in baptismo *Syluester* instituerit. Neq; enim aliud præcepit, quàm vt baptizati in verticeliniantur, quæ vnctio ad baptismum pertinet non ad Confirmationem, quæ fit in fronte.

413. Vsum *Chriftatis* ad elementa huius mundi pertinere. *Brent. loc. cit.* Quasi aliud sint omnia Sacramenta, quàm externa quædam signa & elementa? an elementum quoque aquæ reiiciendum est, quia tuis quoq; in lustrationibus gentes aquam adhibebant & *Iudæi*?

Coloss. 2.

414. Apostolum sollicitè monere, ne patiamur nos per inanem philosophicam abduci à vera fide ad traditiones hominũ, & elementa huius mundi. *Idem.* Sed *Apostolus* ibid. non solum sollicitè monet, sed iubet, vt *Christiani* in iis quæ acceperunt, & didice-

didicerunt, permaneant, Cum ergo cæremonias istas nec à philosophis, nec à Iudæis, sed à Maioribus nostris totaq; acceperimus Ecclesia, cur ad inania vaniloquia huius vel illius, tam leuiter feramur? Apostolus verò non ab elementis, sed ab egenis & inanibus elementis, cuiusmodi non sunt Christianorum Sacramenta, promissione gratiæ fœcunda, discedere iubet.

415. Dyonisium Areopag. non obscure significare, ritum Chriftatis & vnctionis, ab Ethnicis & Athleticis remansisse & promanare vnctionibus. *Idem.* Sed quid inde vndecunq; similitudo ducatur? Num ideo panem quoq; & vinum à Cœna proscribemus, quia Ethnici quoq; & Hebræi suis in libaminibus & sacrificiis pane vsi sunt & vino? Non ergo ipsa principaliter spectanda est cæremonia, sed finiseius, legitimusque vsus. Neq; ideo culpandæ sunt cæremonia gétilium, quia gentilium, sed quia idolorum & falsorum deorum, cum eadem res & Cæremonia adiaphora, & Deo vero & Deo tribui possit falso.

416. Vnctionem Pontificiam, Cæremoniam & superstitionem esse Iudaicam. Cum ipsa vnctio Mosaica, dum viguit, nequaquã supersticio, sed grata Deo & accepta fuerit cæremonia.

417. Tertullianum & Cyprianum fateri, hanc vnctionem nec à Christo, nec ab Apostolis institutam, sed ex veteribus Iudæorum cæremoniis esse relictam. Cum in eo ipso & sequenti sermone Cyprianus, diuinitus institutam scribat.

*Tertull. libr. de
Baptismo.
Cypr. Serm. de
ablut. ped.*

418. Basilium scribere, nullum de vnctione extare *Logon gegrammenon*, scriptum verbû. Verum quid antiqui de hoc senserint Sacramento, vel ex ipso videre licet Kemnitio. Quod si etiam de ea scriptum nihil esset, Apostolicam tamen esse traditionem, qui Apostolos consecuti sunt, scriptû reliquerunt, vnde Hieronymus, quem toties citat Kemnitius, postquam per impositionem manuum Episcopi Spiritum sanctum dari dixisset, subiungit, *Exigis, vbi scriptum sit? in Actibus Apostolorum? Sed etiam si Scriptura auctoritas nulla subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.*

*In Dial. condi
Lucif.*

Millesexcenti Errores,

419. B. Hieronymum in Dial. cont. Lucif. ex professo refutare errorem Tertulliani, Cypriani & Cornel. quod senserint in baptismo non dari gratiam, sed solum per impositionem manuum. *Kemnit.* Cum aliud Hieronymus toto illo Dialogo non agat, quam quod explicet, qua ratione per manus impositione gratia detur, cum per baptismum iam data fuerit & accepta: Nec vllum ex dictis Patribus refutet, nec vlli Patres, ipso etiam referente *Kemnitio*, baptismo gratiam detraxerint.

Lib. 2. cont. lit. petil. cap. 104. 420. Veteres, & puriorem antiquitatem, non agnouisse hanc Vnctionem seu Confirmationem pro Sacramento. *Omnino scilicet:* Quid est ergo, quod Augustinus ait? *In hoc unguento Sacramentum Chrysmatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibile signaculorum Sacrosanctum est, sicut est ipse baptismus.* Et infra. *Discerne ergo visibile sanctum Sacramentum, quod esse et in bonis et in malis potest, illis ad premium, istis ad iudicium, ab invisibili unctione charitatis, quae proprie bonorum est.*

421. Vnctionem Chrysmatis ex Schola produsse Montani, *Kemnit.* Sed quis veterum Montano id tribuerit, non refert *Kemnitius*. Solos autem haereticos, ut Nouatianos, Waldenses & alios, Sacramentum hoc negasse, patet ex Theodoret. de Fabul. haeret. lib. 3. Aenea Sylu. in hist. Bohem. cap. 33. Vnde liquet ex quibus vetustis Patribus, sua mutuent dogmata aduersarij.

422. Verbum vnctorum esse, nullam nos gratiam in baptismo percipere, qua in agonibus instruamur. *Caluin. lib. 4. Inst. esp. 19. s. 8.* Calumniam esse, nemo est qui nesciat, nam licet doceant plenitudinem Spiritus conferri vnctione; in baptismo tamen gratiam quoque conferri Spiritus, minime inficiantur.

423. Melchiam Papam sacrilegum esse, quod pinguedinem, foetore anhelitus inquinatam, & verborum murmure incantatam, hoc est, Chryisma, ausus fuerit opponere & conferre Christi Sacramento. *Sic loquitur Caluinus loco citato.* Sed quid Caluine, de tuo ipsius longe sanctissimo Patre patronoq; scilicet Augustino? qui (ut supr.) vnctionem hanc non quaecumq; sed Sacrosanctum vocat Sacramentum, sicut est ipse Baptismus? Nec
id so-

id solum, sed eundem ipsum Melchiadem, ut virum integerrimum, innocentissimum, ac Christianæ pacis filium, & Christianæ plebis patrem optimum mirificè laudat: Epist. 162. Num August. quoq; Sacrilegus?

424. Puriorem antiquitatem nihil de chrysmatis vncione tradidisse. *Kemnitius*. Cum pag. 62. Tertullianum, Cyprianum, Cornelium, Cyrillum, Augustinum & alios, rãquam Montanizantes, eam ob vncionem reprehendat, An Patres illi non puri? an non antiqui?

425. Manuum impositionem, per quam Apostoli Spiritum sanctum conferebant, non fuisse Sacramentum, sed tantum cæremoniam quandam, qua baptizati offerebantur Deo. *Calvinus loc. cit.* Quasi ipsa baptizatio aliud sit, quàm baptizati quædam consecratio & oblatio? Deinde, si externa tantum fuit oblatio & commendatio, quomodo per illam dabatur Spiritus sanctus?

426. Manuum impositionem, qua vsi sunt Apostoli post baptismum, fuisse cæremoniam quandam annexam baptismo. *Kemnit.* At si non fuit peculiare Sacramentum, sed cæremonia duntaxat baptismi, cur ij qui baptizabant, eam baptizatis non adhibebant? Cur solis Apostolis referriabant? Num Philippus manus non habebat, quas abs se baptizatis imponeret? Cur Petrus & Ioannes tanto destinandi erant itineri, ut baptizatis à Philippo manus imponerent, si externa tantum manuum ista impositio, ad ipsum spectans baptismum, fuerat cæremonia?

427. Manuum illam impositionem Apostolorum, non fuisse aliud, quàm Orationem quandam super baptizatum. *Kemnit. pag. 72.* Errant. Si enim oratio tantum fuisset, per eos utiq; qui baptizabant, adhibita fuisset, nec Apostolos ex Hyerosolimis in Samariam vocare & venire, ut baptizatis manus imponerët, necesse fuisset.

428. Augustinum scribere, impositionem illam manuum, *Lib. 3. de Bapt.* non fuisse aliud quàm Orationem super baptizatum. *Kemnitius. cap. 16. pag. 72.* Cum non loquatur de impositione manuum, quæ coniuncta est cum vncionè chrysmatis, quam (ut supra) Sacrosanctum

Millesexcenti Errores,

sanctum vocat Sacramentum, sicut est ipse baptisimus, sed de simplici manus impositione, quæ fiebat in reconciliatione pœnitentium, maxime ab hæresi redeunrium, vt pater ibid.

429. *Hebr. 6.* Manuum impositionem non fuisse aliud, quàm gratiam gratis datam Apostolis. *Calum. Brent.* Atqui per gratias gratis datas non solet ordinariò conferri Spiritus sanctus. Et Apostolus impositionem manuum, cum ipsa fide & pœnitentia, tanquam fundamentum aut Sacramentum religionis Christianæ coniungit: gratiæ verò gratis datæ, nec omnibus dabantur, nec in omnibus æqualiter operabantur. Rom. 12. 1. Cor. 12.

430. *Astor. 5. 19.* Sicut non rectè inferitur, vmbra, semicinctia & sudaria Apostolorum, fuisse Sacramenta, quia Apostoli per ea curabant infirmos, ita neq; rectè inferri, manuum impositionem, qua iidem Spiritum sanctum conferebant, fuisse Sacramentum. *Kemm.* Quasi idem sit infirmis sanitatem restituere, & Spiritum sanctum, seu gratiam per signum externum ordinario conferre?

431. Manuum impositionem non fuisse commune Christianorum Sacramentum, sed singulare duntaxat Apostolorum priuilegium. *Kemm.* At hoc nullibi scriptum est, sicut enim per ablutionem corporis, ita quoq; Spiritum sanctum conferebant per manuum impositionem.

432. Non esse confingendum nouum & peregrinum Sacramentum Confirmationis, ad conferenda & percipienda dona Spiritus sancti, cum ea aliundè & abundè haberi queant. *Kemnit.* Sed cum scripturæ sacræ plura contineant gratiæ media, inter quæ ipsa quoq; est manuum impositio, cur hoc negato asseruntur alia? an quia sunt alia, hoc ex numero illorum rectè eximitur.

433. Apud veteres, Confirmationem aliud non fuisse, quàm Catechesin eorum qui baptizati fuerant. *Calimus loc. cit.* Vanissimum: Cum nec scripturæ, nec Patres, aut Concilia eam appellent Catechesin vel Catechismum, sed vñctionem & impositionem manuum, quæ etiam paruulis adhibebatur, qui Catechizati non poterant.

434. Rug-

434. Rursum impositionem manuum, non aliud fuisse, a-
iunt, quàm catechisationem. Cum per illam dabatur Spiritus S.
per Catechesin verò, nec tunc dabatur, nec nunc datur Spiritus S.

435. Ritus Confirmationis piè & ad Ecclesiæ ædificatio-
nem, iuxta scripturæ consensum posse vsurpari & seruari, si re-
motis inutilibus superstitionibus, & cum scriptura pugnantibus
traditionibus, baptizati, postquam ad ætatem peruenerint,
diligenter, in certa & simplici Catechesi doctrinæ Ecclesiæ insti-
tuantur, & cum sufficienter instituti, & fidem suam professi fue-
rint, Episcopo offerantur, qui pro ipsis oret, iisq; manus impo-
nat. *Ita fufius Kemnit. pag. 72. 73.* Sed hoc quid aliud est, quàm
tunc Sacramentum hoc piè ac rectè vsurpari & retineri, quan-
do prorsus è medio tollitur, & in locum eius, id quod Sacra-
mentum non est, surrogatur? neque enim vel catechizatio, vel
Exhortatio, vel Commonefactio, vel etiam professio fidei, Sa-
cramentum est. Nec minùs apud Pontificios, quàm ipsa sunt v-
sitata Sacramenta.

436. Talem ritum, nempè Catechizationem, Commone-
factionem de baptismo, Exhortationem, interrogationem &
professionem, ac etiam publicam sponfionem fidei, Orationem,
& impositionem manus Episcopi, &c. multum utilitatis con-
ferre iuuentuti, & Ecclesiæ, ac consentaneum esse sacris literis, &
puriori antiquitati. *Kemnit.* Cum hunc ipsum ritum vt scriptu-
ris & Patribus consentaneum, & ab ipsis tantopere laudatum,
minimè seruent. Et vbi illi eorum Episcopi, quibus tali ritu
Catechizati ad manus impositionem offerantur?

437. Ministrum huius Sacramenti, non solum esse Episco-
pum. Adeò scilicet de proprio Confirmationis solliciti Ministro,
vt ipsam nec Sacramentum quidem esse concedant.

438. Scripturam ignorare discrimen inter Episcopum &
presbyterum, ità vt quicquid vni, eodem iure competat & alte-
ri. *Kemnitius. pag. 74.* Cum non solum nullum Episcopum, sed
nec presbyterum quidem habeant legitimum: Nec se ipsos Pres-
byteros, sed Ministros duntaxat verbi nominent, & nominari
patiantur.

439. *B.* Hieronymum planè ignorare discrimen inter Episcopum & Presbyterum. *Kemnit.* Cum paulò antè plurimis verbis ex eodem distinctionem inter Episcopos, Presbyteros, & Diaconos allegarit. pag. 72.

440. *B.* Materiam Confirmationis, non esse balsamum oleo mixtum. Vanum est de materia vel Forma rei disputare, si rem ipsam neges, audienda magis est Ecclesia, quàm Kemnitius vel quivis alius Sectarius.

441. *B.* Nativum balsamum, vnà cum arboribus iam pridem interiisse, atque ita materiam Sacramenti Pontificij ex rerum natura periisse. *Kemnitius pag. 70.* videturq; id ex Plinio mutuas-
Hier. in cap. 27. Exech. Greg. in c. 30. Can. se, lib. 12. cap. 25. Cum quingentis post Plinium annis adhuc extitisse referant Hieronymus & Gregorius. Etiamnum verò reperiri apud Indos & Ægyptios compertissimum est.

442. *B.* Non esse verosimile, Christum voluisse instituire commune Sacramentum pro omnibus, in liquore tam raro & pretioso, qui vix maximis haberi potest sumptibus. Sed fortè non minùs rarum & pretiosum est iis in locis vinum, vbi balsamū crescit, quàm apud nos balsamum, vbi vinum crescit, Atque simili prorsus ratione dicere possemus, Non esse verosimile, Christum voluisse instituire commune Sacramentum Eucharistia in liquore vini, quod non solùm plurimis in locis vix potest haberi, sed à plurimis nec quidem sumi? Itaq; Deus, qui hactenus de vino, frumèto & oleo, ne deessent in mysteriis Ecclesie sue, providit, ne desint, providebit in posterù, A fructu. n. frumèti, vini & olei fideles multiplicantur & lætantur. Psal. 4. Joel 1. & 2.

443. *B.* Chrisma ab Episcopo consecratum, esse oleum Diaboli mendacio pollutum, & magica superstitione incantatum. *Ita loquitur Calvinus, neq. enim aliter loqui homo impius poterat.* Hoc. n. quid aliud est dicere, quàm omnes omnium Maiores nostros viros religiosissimos, Diaboli fuisse mendacio pollutos? Atqui

Lib. 1. epist. 12. B. Cyprianum loquentem audiamus. *Oleum (inquit) in altari sanctificatur, sanctificare autem olei creaturam non potuit, qui nec altare habuit, nec Ecclesiam, vnde nec unctio Spiritalis apud hæreticos esse po-*

est, quando constet oleum sanctificari, & Eucharistiam apud illos fieri omnino non posse. Hæc (nisi fallor) aliter sonant, quam Calvini verba. Ex quibus & ipsi videre possunt Lutherani; ipsorum Ministros nec vnâ Eucharistiæ speciem, nec consecrare vel ministrare posse vtramq;

444. Eos, qui vocant Chrisma, oleum salutis, salutem que in Christo est, abiurare. *Calum. lib. 4. Instit. cap. 19. §. 7.* At quid prohibet chrisma vocare oleum salutis, cum aqua vilius elementum, lauacrum dicatur salutis? sed & ipsa scriptura a Sagittam vocat salutis, b diem salutis, c verbum salutis, d scientiam salutis, e aquam sanctificationis.

a 4. Reg. 13.

b 2. Cor. 6.

c Act. 13.

d Luc. 1.

e Tit. 3.

445. Non esse certam Sacramenti huius formam. *Kemn.* Cum ea ipsa quam recitat ipse, extret in Ordine Rom. ad minus ante 1300. annos composito.

446. Nullam in scripturis, Sacramenti huius exprimi formam. Atqui traditam ab Apostolis, vniuersaq; Ecclesia, sufficit. Nec tamen obscure ex verbis colligitur Apostoli ab initio citatis, vbi & vnctionis, & signationis, expressè meminit.

2. Cor. 1.

447. Non esse eandem apud veteres Sacramenti huius formam. *Kemn.* At licet veteres in verbis & sono verborum discrepent, in sensu tamen non discrepant, sicut idem est Græcorum & Latinorum baptismus, tametsi diuersa sint vtrorumq; verba.

447. Confirmationem nullum imprimere characterem. At si Sacramentum esse agnoscerent, characterem imprimere haud negarent, cum alia ratio, cur iterari non debeat, reddi nulla queat. *Cypr. Serm. de Ablut. ped. August. supr.*

448. Ab annis iam plurimis Sacramentum hoc, non ab ipsis Episcopis, sed ab eorum laruis conferri suffraganeis. *Kemnitius.* Sic nempe larvæ loquuntur verorum Ministrorum, qui si larvati Ministri non essent, suffraganeos Episcoporum veros esse Episcopos haud ignorarent.

449. Vtiliores fore Catecheses puerorum, quam tot delibutas, & non necessarias cæremonias Episcoporum & monachorum. Quasi illæ omittantur? aut propter pueriles catecheses & institu-

Millesexcenti Errores,

Institutiones, Christi & omnium Maiorum abiiciendæ sint constitutiones? Atq; inter ipsas cathecheses, prima & præcipua est, de usu & numero Sacramentorum.

1. Tim. 4
450. Sanctificationem olei seu balsami, incantationem esse Diaboli: Verùm sic loquuntur Ministri Sathanæ, cum Apostolus Omnem creaturam testetur sanctificari per verbum Dei & orationem.

451. Nihil releuari consecrationes & benedictiones Pontificiorum, illa sententia Pauli: *Quod omnis Creatura sanctificetur per verbum Dei & orationem*, Apostolum siquidem loqui de usu rei proprio, & de sanctificatione, quæ institutionem habet diuinâ, sicut aqua in baptismo, panis & vinum in Eucharistia. *Kemnit. pag. 66.* Sed ineptam esse expositionem, quis non videt? Neque enim aquam solùm, aut vinum, sed omnem Apostolus ait sanctificari creaturam per orationem, &c. idq; ex voluntate & institutione diuina.

In parentalibus
Melancthon.
452. Ridiculum esse, quod Chrisma in eius benedictione salutetur, quasi res & creatura sit viua, sensu & intelligentia prædita. *Kemnit.* Sed rebus inanimatis, salutationes nonnunquam tribuere, nec apud ipsos qui hoc cauillantur & reprehendunt, aduersarios est insolitum. Verba sunt Ioannis Maioris Poëtæ & Theologi Lutherani: *Saluete, ô cineres, & sancta Melancthonis ossa.* An putrida prophanaq; salutari possunt ossa, sanctificari Chrisma salutari non potest?

453. Impium & blasphemum esse, quod Pontificij adorant Chrisma. *Kemnit. Hessbus. tit. 22. err. 26.* Atqui adorare creaturas, adoratione dulci vel quauis alia veneratione externa, nec inusitatum, nec in scripturis est prohibitum, qua adoratione reges & res diuino cultui destinata, adorantur, quod aliud non est, quàm externa quadam veneratione afficere.

454. Vanum esse, quod Pontificij in Confirmatione adhibent Patrinos. Sed cur magis in Confirmatione, quàm in baptisatione?

455. Crudele esse, quod Pontificij Confirmandis infligunt alapam.

alagam. Ita Kemnit. qui ex leui attractu crudelem facit alagam; quod idè fit, vt meminerimus, Christiano homini non tantum verba, sed etiam verbera & extrema supplicia patienter esse ferenda pro Christo, qui & ipse pro nobis colaphizatus, & crudeli morte innocenter fuit occisus.

456. Ludicrum esse, Confirmatis fascia ligare frontem, eamq; per dies septem circumferre, nec frontem lauare, Sed hæc Cæremonia, non vbiq;, rectè tamen obseruatur, ad designandum, septiformem Spiritus gratiam, non facile abiiciendam, sed in anima firmiter ligatam, diligenter esse custodiendam: Ac vt sacro Chrismati, quantum fieri potest, suus quoq; seruetur honor.

457. Omnes omninò cæremonias, quæ circa hoc Sacramentum adhibentur, esse ludicras, vanas, superstitiosas, idololatrias, cum verbo Dei pugnantes, & minimè necessarias. Quasi verò, omnes ridere cæremonias, magnum quidpiam sit, aut insuetum iis, qui à fide & religione omnium Maiorum suorum, vtique nec vanorum, nec superstitiosorum, publico contemptu discesserunt? Sed si tales essent, tota Ecclesia nec acceptasset aliquando, nec vt scripturis & religioni consentaneas approbasset & tradidisset.

ADDAMVS QVÆ SPECIATIM HOC

loco adducit Kemnitius.

458. Pontificios perpetuam facere anthitesin baptismi & Confirmationis, ità vt quicumq; effectus tribuuntur Confirmationi, eo ipso derogentur & detrahantur baptismi, pag. 60. At cur magis anthitesin, in his, quàm in aliis quærit Sacramentis? omnis enim effectus, eo ipso quia vni alicui Sacramento vt proprius & primarius tribuitur, aliis derogatur & detrahitur, nec enim alioquin vel distincta essent Sacramenta, vel effectus.

459. Pon-

Millesexcenti Errores,

459. Pontificios docere, baptismum non efficere hominem Christianum, sed Chrisma seu Confirmationem. Cum non nisi Christiani confirmentur? Sicut autem baptizati, non sunt veri censendi & perfecti Christiani, si Sacramenta alia maxime pœnitentiæ & Eucharistiæ contempserint, vel supinè neglexerint, ita neq; si Confirmationem aspersionati fuerint.

460. Christianos non denominari à Chrismate. At obsecro à quo alio? An fortè à Christo? at is ipse aliunde non denominatur quàm à Chrismate, quid enim aliud est Christus vel Christianus (si nomen spectes) quàm Chrismatus? Ita Cyrillus quem citat Kemn. & August. lib. 3. contr. lit. petil. cap. 104.

1. Ioh. 3.

461. Christianos denominari ab interiori Spiritus & gratiæ vnctione, iuxta illud: Vos vnctionem habetis, &c. Cum & ipsa interior Spiritus sancti vnctio, non nisi ab exteriori denominetur & denotetur, quod sicut oleum corpus, ita gratia vngat animam, &c.

Act. 9.

462. Antiochiæ, Credentes fuisse dictos Christianos, priusquam essent Chrimati. Hoc si quis neget, vnde probabitur, an quia non est scriptum? at nonne scriptum est, dictos fuisse Christianos? quid est autem Christianus nisi Chrimatus? exteriori quidem Chrimate, vt signo exteriori & visibili, gratia verò & sanctificatione, vt Chrimate interiori & spirituali?

Habetur tom. 5.
Biblio. patr.

463. Rursum: Antiochiæ, dictos fuisse homines Christianos, priusquam Chrimate essent vncti. Cum Theophylus sextus à D. Petro Antiochenus Episcopus in lib. 1. ad Autolycum à Chrimate fuisse sic dictos scribat. An Episcopus Antiochenus, quid Antiochiæ actum fuerit, ignorauit? Sed & Apostolus id non obscure insinuauit, cum dixit: *Qui confirmat nos Deus, & qui vnxit nos, & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris, vbi externam ab interiori Spiritus discernit vnctione.* Idem 2. li. Supr.

2. Cor. 1.

464. Pontificios docere, non dari per baptismum se priformem Spiritus sancti gratiam, cum eam per confirmationem dari doceant. Kemnitius ibid. Cum paulò post pag. 71. diuersum

ipse probet ex Patribus; non enim ideo derogatur gratia vni, quia tribuitur suo modo, Sacramento alteri, Si autem omnis gratia conferretur per vnum, frustra instituta essent alia.

465. Pontificios docere, in baptismo non dari Spiritum sanctum, quo resistamus cupiditatibus, mundo & Diabolo. *Idem.* Minimè verùm: In omnibus enim Sacramentis gratia datur, non tamen omninò eadem.

466. Pontificios docere, non posse in se habere baptizatos gratiam, nisi vngantur. *Idem.* Verùm baptizatos non posse habere in se gratiam baptismi, sine Confirmatione, falsum est, neque id docent Pontificij: Posse verò habere gratiam Confirmationis, vanum est, neq; enim effectus alicui Sacramento proprius, ipso non percepto Sacramento, percipitur.

467. Pontificios docere, non esse plenè filios Dei baptizatos, nisi vngantur. *Idem.* Omninò; non tamen eo, quem isti fingunt sensu, sed quia nemo filius DEI, Sacramenta DEI contemnit, vel supinè negligit. Hinc est, quod homo, quantumvis baptizatus, filius Dei esse non potest, nisi pœnitentiam agat, & Eucharistiam percipiat, dicente Christo: *Nisi pœnitentiam egeritis, Luc. 13o omnes simul peribitis. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Ioan. 6o*

468. Pontificios docere, Baptismum neminem facere regni Dei participem, quia per Confirmationem participem fieri docent. *Idem.* Sed quæro, an participem faciat baptismus, sine pœnitentia & Cœna? Itaq; nullum Sacramentum, contempto neglectòue altero, participem facit regni Dei.

469. Pontificios docere, homines in baptismo non accipere Spiritum tuentem, defendentem, gubernantem & roborantem. *Ibid.* Minimè: suo enim modo, gratiam in singulis docent percipi Sacramentis.

470. Pontificios docere, per baptismum solummodo preparari domum Spiritui Sancto, in eam autem nec Patrem, nec filium, nec Spiritum sanctum descendere, donec vngantur baptizati. *Ibid.* Suo sensu modoq; vt suprà. Et quæro, Num Spiritus

Sanctus

sanctus in Apostolis aliisue fuerit baptizatis, priusquam in eos in die Petri costes vel per manus impositionem descenderat? Act. 1. 8. 19.

471. Pontificios docere, Non conferri plenitudinem gratia per baptismum, sed per Confirmationem. Omnino: sed (vt sapè) scio, non quouis sensu, si enim gratia omnis conferretur per baptismum, ceteris gratia nulla restaret Sacramentis.

472. Pontificios docere, homines non incorporari Christo per baptismum, sed per oleum Confirmationis. Minimè gentiū: etenim solum baptismum regenerationis & initiationis esse Sacramentum agnoscunt & docent.

473. Pontificios docere, homines non sanctificari per baptismum, sed per oleum. Atqui non negat sanctificari, qui asserit vno magis sanctificari, quam altero.

474. Hæc omnia, quæ commemorata sunt, detrahi & derogari baptismi, si ea per Confirmationem conferri dicantur. Absit: Neq; enim ideò remissio peccatorum ipsi detrahitur baptismi, quia ipsam quoq; confert pœnitentia: suo enim modo & baptismi tribuitur, & ceteris Sacramentis gratia.

475. Superfluum omnino fore, & minimè necessarium baptismum, si ea omnia quæ commemorata sunt, confirmationi tribuantur & vñctioni. *Idem.* Cum is ipse pag. 24. scribat, Non ideò superflua vel contemnenda esse Sacramenta, si iustificatio conferantur. Nec ideò oculus abiiciendus est alter, quia vno videtur lumen; Neque ideò baptizari Cornelius non debuit, quia priusquam baptizaretur, iustificatus fuit, sicut circumcidi debuit Abraham, licet antè Circumcisionem per fidem esset iustificatus, maximè cum Sacramenta non eandem, sed suo modo & mensura, suam qualibet conferant gratiam.

Act. 9.

476. Non esse necessarium nouum confingere Sacramentum, propter nescio quàm peculiarem Spiritus sancti gratiam, cum multa sint alia media diuinitus instituta, per quæ gratia eiusmodi hominibus exhibeatur. *Idem.* Et idem supr. Hæc enim ratione nec ipse necessarius esset baptismus, vel Cœna: Et cum multa sint gratia media, cur vnum amplectimur, alterum aspernamur?

477. Ipsam baptismi gratiam sufficere ad ea omnia, propter quæ gratia confirmationis confingitur. *Idem pag. 63.* Sed si gratia baptismi sufficit, ad quid Kemnitius orat? Pœniter? cœnat? &c.

478. Pontificios quosdam asserere, Sacramentum hoc non à Christo, sed traditum esse ab Apostolis: An ergo non sufficiunt Apostoli? An Christus non instituit, quod per Apostolos tradidit? Aut idem fortassis est, Non esse scriptum quod Christus instituerit, & Christum non instituisse? An non eadem Ecclesia Sacramentum à Christo & Apostolis prouenire tradit, quæ scripturas ipsas prouenire tradit?

479. Vnctionem istam non ab Apostolis, sed prouenire ab hæreticis Montanistis. *Kemn. Idem supr.* Non enim Montanisticam, sed Apostolicam esse traditionem Ecclesia tradidit, quæ si Montanistica esset, vt cætera Montani, ita hoc quoq; dogma, ab Ecclesia damnatum esset.

480. Veteres, crebram quidem Olei facere mentionem, nō tamen vt distincti Sacramenti, sed vt Cæremoniæ baptismi, quæ recipiebantur ab hæreticis baptizati. Alienum hoc esse à vero, fusè probat Bellarminus: Quin & ipse Tertullianum, Cyprianum, Cyrillum, Cornelium, Rabanum, Durandum, Gerson. & cæteros, ea in re errasse, scribit Kemnit. pag. 68. 69.

481. Pontificios, Vnctionis Sacramentum, non nisi ex apocryphis, supposititiis, & commentitiis antiquorum probare scriptis. Scilicet, apocryphum est & commentitium Kemnitio, quicquid ipsius consentaneum non est commentis. An Tertull. Cyr. Cyr. August. &c. commentitij sunt, & non probati vetustiq; auctores?

482. Veteres appellare Confirmationem seu Vnctionem largo quodam modo, & improprie Sacramentum. *Kemn.* Cum (vt sup.) August. Sacrosanctum vocet Sacramentū, sicut est ipse baptismus? An baptismus quoque largo quodam modo, improprieq; est Sacramentum?

483. Augustin. quālibet rem sacram vocare Sacramentū.

Millesexcenti Errores,

Ibid. Et: Non tamen Sacrosanctum vocat Sacramentum, sic-
ut est ipse baptismus, hoc enim nominis Confirmationi non cui-
libet rei tribuit sacra.

484. Quamvis veteres variè loquantur de vñctione, nul-
lum tamen ex tota puriore antiquitate produci, qui detrahat
baptismo effectus supra enumeratos, eosque tribuat Vñctioni.
Kemnit. Cum ibidem longa verbositate reprehendat Cyrillum,
quod eos tribuerit? Quid autem Pontificij tribuant, quidq; tri-
buatur ipsis à Kemnitio, dictum est.

485. Cyrillu non esse tantæ auctoritatis, nec ipsius Cate-
cheses tantę certitudinis, vt vera eũ scribere, nec omninò errare,
dubitare nemo debeat. *Ibid.* At maioris saltè esse auctoritatis Cy-
rillu, quàm Kemnitium, nemo fortassis quoq; dubitabit: quam
verò auctoritatem habeat, patet ex Concil. Constantin. in epist.
ad Damasum, vt habetur apud Theodoret. lib. 5. cap. 9. Deniq;
si errasset, erroris à cæteris Patribus, totaq; Ecclesia, notatus fu-
isset: at quis errasse eum hac in parte asseruit, nisi Kemnitius?

486. Veteres longè aliter loqui de hoc Sacramento, quàm
Pontificios, ipsos enim non Confirmationem vel Vñctionem, sed
manuum vocare impositionem. *Ibid.* Vanum: quo enim no-
mine vocetur, interest parum: sicut parum refert, baptismum ne
lauacrum voces, vel Immerfionem, vel Ablutionem, vel rege-
nerationem, vel renouationem, &c. Sacramentum Corporis &
Sanguinis Christi, vel Cœnam, vel Eucharistiam, vel Synaxin,
&c. Vñctionem tamen appellant pleriq; omnes. Supr.

487. Veteres non meminisse mixtionis olei cum balsamo.
Ibid. Cum eius meminerit, non tam vetustissimus, quàm pro-
batissimus auctor, Greg. I. in 1. cap. Cantic.

488. Veteres communiter coniungere vñctionem cum
baptismo, proinde censuisse, non esse distinctum Sacramentum
à baptismo. *Ibid.* Cum etiam coniunxerint Eucharistiam, sicut
etiamnum obseruatur cum adultis, qui eadem die, qua bapti-
zantur, etiam confirmantur, & communicantur, Num ideo cen-
senda non sunt distincta Sacramenta?

489. *Quo* Veteres, omnes illos effectus, quos Pontificij tribuunt Confirmationi, ipsi tribuere baptismo. Quasi Pontificij (vtdictum est) non etiam, modo suo, tribuant?

490. Pontificios sentire, gratiam in vniuersum posse detrahi baptismo, & referri ad Chrisma. *Et hoc diligentissimè obseruare debere lectorem, scribit Kemn. pag. 62.* Atqui hoc nec per somnium quidem Pontificiis aliquando venit in mentem. An enim ideo detrahitur vni Sacramento gratia; quia alteri quoq; tribuitur gratia? Supr.

491. Lutheranos serio ac sedulo docere, vt homines summa cum reuerentia, & animi gratitudine peculiari, iis vtantur medijs, quæ ad gratiam consequendam Deus instituit & ordinavit. *Kem. pag. 63.* Cum præter fidem medium aliud agnoscant nullum, hanc enim solam siue nudam, siue signo vestitam, iustificare contendunt, alia verò media è medio tollunt omnia.

492. Si de mandato & promissione huius Sacramenti ex verbo DE I certi redderentur, se grato animo illud amplexuros. *Ibidem.* Vt cætera puta dogmata: An ex ipso certi non sunt verbo, quod Ecclesia Christi supra Petram fundata, non erreret? an eam audire non iubentur? An Ecclesia ipsa, quæ Columna & firmamentum est veritatis, Sacramentum hoc acceptasset tradidissetq; nisi à Christo & Apostolis accepisset? De Mandato vero & promissione Dei, Supr.

Matt. 16.

Matt. 18.

1. Tim. 3.

493. B. Thom. & alios asserere Scholasticos, ex scripturis probari non posse, quòd, quando, & vbi, Sacramentum hoc à Christo institutum fuerit. Quasi qui hoc asserunt, à Christo institutum esse negent? An ideo dicemus, Kemnitium hoc vel illud non instituisse, quia instituisse in scriptis eius non legimus, sed traditione duntaxat aliorum accepimus? Ex quibus, obsecro, probabimus scripturis, ipsas ab Apostolis mandato Christi scriptas & traditas esse scripturas? an non ex ipsa eorum traditione mandatum elicitur? Quæris (inquit Hieronymus) vbi scriptum sit? in Actibus Apostolorum: Sed si etiam scripturæ auctoritas non esset, totius orbis in hanc partem consensus, instar præcepti obtineret.

Millesexcenti Errores,

494. *Actor. 1.* Ridiculos esse Pontificios qui per Oleum Confirmationis, docent significari ignem, & per Balsamum species linguarum, in quibus spiritus sanctus in Apostolos descendit, cum nullam adinvicem habeant similitudinem aut cognationem. *Ibid.* Verum non minus per Oleum significari Spiritum sanctum, quam per ignem, quis nisi scripturarum ignarus ignorat? Quid enim aliud per unctioem, cuius frequens in scripturis mentio, intelligitur, nisi Spiritus sanctus?

Actor. 30.
1. Ioan. 2.

495. Pontificios docere, per Oleum significari ignem, quia nutrit ignem, cum baculus quercinus, fumo bene induratus, non minus nutriat ignem, quam oleum. *Ibid.* Atqui in scripturis sacris non legimus, per baculum significari Spiritum sanctum, sicut per oleum, quod ignem non solum nutrit, sed ut ignis res alias lucidas reddit. Quod si tam rigidi, Kemnitius & Heshusius sunt Lutherani, ut nec oleo nec balsamo emolliri queant, baculos si adhibeant quercinos, donec emollescant, num prohibebit quisquam?

496. Ineptè Pontificios balsamum comparare linguis. Sed obsecro, quæ similitudo, linguis cum igne? vel linguis igneis cum Spiritu sancto? An per suavem balsami odorem, lingua significari non potest, vel Spiritus? per linguam siquidem bonum vel retrum fidei & conscientia nostræ reddimus odorem, Odor enim, teste Apostolo, bonus sumus Christi. 2. Cor. 2.

497. Apostolos nequaquam voluisse, Impositionem manuum, ordinarium perpetuumque esse medium conferendæ gratiæ, sed hoc quo testimonio? an sufficit, quia Kemnitius dixit, *Suprà.*

Multos gratiam Confirmationis accepisse sine impositione manuum, ut Antiocheni, Act. 9. At multi quoque acceperunt gratiam sine baptismo, & Cœna, ut Cornelius. Neque enim ita alligavit gratiam suam Deus signis, quin sine iis, quibus velit, conferre possit, lege tamen ordinaria id nec factum aliquando est, nec fit.

498. Summa esse audaciam & temeritatem, tot & tanta

tribue.

tribuere materiali pinguedini, sine mandato, sine testimonio, sine promissione verbi Dei. *Ibid.* Pinguedinem vocat sacrum Chrisma, quod alij ipsius sectę complices foetidam vocant axungiam, vulgò *Schmier/Wagenschmier.* &c. neque enim talia ora, alia proferre possunt verba, quę si apud Maiores ipsorum essent baculo quercino (vt eorum vtamur verbo) vel alia axungia peruncti fuissent. De promissione, vero mandatoque supra.

499. Vnctionem istam olei, esse contrā verbum Dei, eò quod Creaturę tribuatur effectus Spiritualis, quem nec ex natura sua, nec ex institutione habet diuina. *Ibid.* Atqui si ex natura haberet, Sacramentum Dei non esset, habere verò ex institutione diuina diximus.

500. Pontificiorum doctrinam de Confirmatione, contumeliosam esse baptismo, eumq; penitus enervare & euacuare à gratia. Atqui (vt sæpe) nullus detrahatur baptismo effectus, qui ei ex institutione sua competit.

501. B. Hieronymum scribere, Impositionem manuum Episcopi, magis vsurpari ob sacerdotij dignitatem, quàm ad legis necessitatem. *Kemn. pag. 72.* Cum eam ipsi nec propter hanc, nec propter illam vsurpent.

*In Dialog. con-
Lucif.*

502. Pontificios docere, non minus aliquem attrectatione Chrysmatis, quàm indigna sumptione Eucharistię supremam Dei incurere indignationem, sicut Faber quidam Episcopus, (inquit *Kemn. ibid.*) Viennę, gehenna dignum iudicauit, qui calceos sacro oleo perunxerat. Sed si sine vilo discrimine omnia ab omnibus sunt contrectanda, & pro libidine & insolentia cuius conspurcanda & conculcanda, quę religio? quis cultus erit, honorq; Dei & Sacramentorum? quę seruabitur disciplina? An laturo sunt ipsi, vt vel baptisteria eorum, vel Cœnæ temerè contrectentur, conspurcentur, & conculcentur symbola? Cum ergo scriptum sit, vt sancta sanctè habeantur, neq; porcis obiciantur & canibus, quomodo id vitio datur Pontificiis, si rebus sacris sum seruari volunt honorem? & minimè à quolibet attrectari patiantur & conspurcari?

Matth. 7.

503. Quicquid tandem sit de hoc Sacramento, inutilem esse & non necessariam caeremoniam. Puta: si Kemnitio credimus: Sin autem cæteris antè nos Theologis, Patribus, Conciliis, atq; adeo omnibus vbiuis gentium Christi fidelib⁹ aliter dicendum, aliter est docendum: Ecclesiam audire iube nur, & eos qui sedent super Cathedram, non alios. Matth. 18. 25. Deut. 17.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

*Ex Kemn. in 2.
part. Examin. d. 504.
pag. 75. eo quæ
seruat ordine.*

*Lutherani auctores
& fundatores
Caluinismi.*

TRistem & lamentabilem, eamq; perniciosam, & damnabilem controuersiam, hoc tempore à Sacramentariis fuisse excitatam, de reali, figurali & tropica præsentia Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ. *Kemn.* Cum perniciosi huius dogmatis etfi Zwinglius, vel Carolstadius, vel Caluinus est assertor, nemo tamen nisi ipse Lutherus, hoc tempore est auctor, qui primus palàm docuit, Sacramentum hoc non esse adorandum, Ex quo facile intulerunt illi, si adorandū non sit, Deum in eo realiter & corporaliter adesse non posse, quomodo enim si adest, adorari non debet? an Deus non est adorandus? Item, Panem non esse Corpus, sed In, Sub, & cum Pane esse Corpus, quod re ipsa aliud non est, quam panem esse figuram corporis, siue absentis siue præsentis. Deniq; hoc ipso loco, quid aliud intendit, vel contendit Kemnitius, quàm effectum huius Sacramenti, peccatorum putà remissionem, vel si quis est alius, non ipsi corpori, sed fidei duntaxat esse tribuendum? ita vt nullus fructus ex Sacramento percipiatur, nisi quantum fide apprehenditur & attrahitur: hoc autem quantum differat ab eo, quod Sacramentarij docent, nempè spiritualiter tantummodo per os fidei vel animæ corpus manducari, & vnumquemq; tantum in hoc Sacramento percipere, quantum fide percipit & at-

trahit,